DE CALPHVRNIO TERENTII INTERPRETE

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRANCISCVS IOSEPHVS LOEFFLER
HOHENZOLLERANVS.

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER

MDCCCLXXXII.

IOSEPHO ROSS

COMITI DE SCHOENBVRG-GLAVCHAV A CONSILIIS AVLICIS

FAVTORI HVMANISSIMO

S.

De scholiis in Terentii codice Bembino seruatis cum auctore Rudolfo Schoellio, studiorum meorum fautore humanissimo, ante hoc sex mensium et anni spatium quaestionem facere coepissem, comparata Donati et Calphurnii Brixiensis commentariorum editione Westerhouiana Calphurnii quidem in Heautontimorumenon explanationem haud paucis scholiis interpolatam esse desumptis ex 'scholiis Bembinis' intellexi. Hinc cum iam ad Calphurnianam explicationem animum aduerterem, nusquam quicquam in libris litterarum historiam persequentibus legi, quo de Calphurnii uita et explicationis Calphurnianae fatis auctoritateque accuratius disceptaretur. Itaque huius rei enodandae adii periculum adhortante maxime Guilelmo Studemundo, praeceptore meo carissimo, cui pro insignibus in me beneficiis maximam habeo semperque habebo gratiam.

Constat Donati, qui ob antiquitatem atque doctrinam nunc primum inter Terentii scholiastas tenet locum, ad quinque comoedias commentarios exstare, ad sextam uero Heautontimorumenon nullum, *quod,* inquit Bentleius[1], *nihil ad eam scripserit Donatus, uel si quid scripsit, perierit.* At permirum esset, si nihil ad hanc elegantissimam fabulam, cuius sescenties in commentariis mentionem facit, adnotauisset.

Iam inde ab antiquissimis editionibus usque ad recentiores in Donatianorum scholiorum locum *Io. Calphurnii*

[1] In edit. Terent. ad Heaut. prol. 1.

Brixiensis uiri clarissimi in P. Sexti Terentii Heautontimorumenon examinata interpretatio [1]) substituitur.

De quo commentario priusquam agamus, de uita et scriptis Calphurnii copiosius disseremus.

PARS PRIOR.

DE CALPHVRNII VITA ET SCRIPTIS.

Ioannem Calphurnium Brixiensem non uero nomine et patria uocari testis est Raphael Regius Bergomas in libello quodam Venetiis anno 1490 opera Guilelmi Tridinensis impresso, in quo praeter alia scripta [2]) inest *Raphaelis Regii in nonnullos errorum cuiusdam Calfurnii Bestiae de quatuor Persii locis, uno Valerii Maximi, duobus Tullii de officiis ac tribus oratoriis quaestionibus disputatio*, quam dedicauit Hermolao Barbaro, atque *eiusdem de quibusdam Quintiliani locis cum quodam Calfurnio dialogus*, cuius in praefatione Hieronymum Donatum, Marcum Dandalum, artium et iuris utriusque doctores, et Paulum Pisanum senatorem Venetum adloquitur. Sit sane Regius, de quo infra [3]) redibit sermo, calumniator Calphurnii detrectatorque maximus. tamen in ea re ei fides habenda est, in qua si mentitus esset, statim mendacii conuictus esset. Neque Marinus Becichemus, Calphurnii discipulus, qui in praefatione ad praelectionem in Plinium [4]) Andreae Lauretano, praetori Veneto, dicata apologiam Calphurnii contra Regium scripsit, illi uituperationi a Regio ad fastidium repetitae repugnat, cum ceteras eius criminationes omnes calumniose factas esse dicat. Quamquam iniuria Regius hoc Calphurnio summo opprobrio esse censet, quippe qui nihil

---

[1]) Sic inscribitur in plurimis editionibus, etiam in editione Taruisina anni 1477, cuius sub calcem *accurata expositio* nominatur; uide p. 23.

[2]) *Raphaelis Regii epistolae Plinii, qua libri naturalis historiae Tito Vespasiano dedicantur, enarrationes.* — *Eiusdem loci cuiusdam Quintiliani ac eius Ciceronis ad Atticum epistolae, cuius initium est: 'Epistolam hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui' enarratio.* (Immo est ad Qu. fr. II 9 [11]).

[3]) V. p. 15. [4]) V. p. 20 sqq.

aliud fecerit, quam ut morem hominum illius temporis doctorum secutus nouum nomen sibi inderet.

Patria quidem esse Calphurnium duobus locis [1]) contendit Regius Bergomensem; uerum autem Calphurnii nomen gentilicium reticet, id per iocum ludens Calphurnium ab omnibus in patria Zaninum [2]) esse uocatum, quod est in montanorum Bergomatum dialecto nomen deminutiuum ab Ioanne ductum [3]). Omnem autem dubitationem nobis tollit inscriptio in manuscripto quodam ipsius Calphurnii, quod adseruatur in bibliotheca canonicorum regularium S. Ioannis ad Viridaria Patauii, quibus bibliothecam suam legauit Calphurnius. In hac enim inscriptione, quam descripsit Tiraboschius [4]) Iacobi Morellii beneficio ipsi traditam, uerum nomen atque patriam Calphurnius indicat simulque Calphurnii nomen esse adscitum confitetur scribens: *Ego Iohannes qui dicor Calphurnius Planza de Rufinonibus ex Bordonia* [5]) *agri Bergomatis.* Quodsi interroges, qua de causa Calphurnius (liceat enim breuitatis causa hoc uti nomine) Bergomas se ipse Brixiensem appellet et a Marino Becichemo ciuis Brixianus [6]), ab Aldo Manutio Brixianus [7]), ab Augustino Morauo Olmucensi in epistula Patauii anno 1494 scripta Brixiensis [8]) nominetur, nihil aliud statuere possumus nisi Calphurnium more eruditorum uiro-

---

[1]) In libelli anni 1490 charta XII et XXII.

[2]) In libelli anni 1490 charta XXII.

[3]) Cf. Tiraboschi, vocabolario dei dialetti Bergamaschi antichi e moderni, Bergamo 1873, p. 1426.

[4]) Tiraboschi, storia della letteratura italiana, uol. IX tom. VI l. 3 p. 1580. Cf. Nic. Comneni Papadopoli historia gymnasii Patauini tom. I p. 292.

[5]) Bordonia (Bordogna) est uicus in Bergomatum Alpibus prope sinistram ripam Brembi fluminis situs; qui anno 1862 ab hominibus centum quinquaginta octo incolebatur; metalla olim exercuisse incolas tradunt. Cf. Amato Amati, Dizionario corografico dell' Italia, Milano, tom. I p. 895 sq. Haec omnia quadrant ad Regii narratiunculam.

[6]) V. p. 20.

[7]) V. p. 12.

[8]) Cf. Quirinus, De Brixiana literatura renatarum literarum aetate, Brixiae 1739, tom. I p 65.

rum nomen sibi indidisse ab urbe, in qua aliquamdiu docuerit. Quamquam eum Brixiae aliquando uixisse non certum habemus testimonium. (Sed uide p. 30).

Idem Regius [1] cum *Calfurnii* nomen constanter per F litteram scribat, a calefaciendis furnis nominatum *Calfurnium* (patrem enim eius fuisse carbonarium, qui in officinis ferrariis furnorum calefaciendorum curam habuerit) diuina quadam prouidentia hoc nomen sibi indidisse iocatur, cum multo aptior sit *calefaciendis furnis quam pueris educandis*; sed Calphurnium ipsum artificii paterni immemorem et ne in nomine quidem scribendo barbarismum uitantem semper per PH litteram ut graecum nomen Calphurnium scripsisse. Sane ita Calphurnium suum ipsum nomen scripsisse modo uidimus, eademque forma legitur etiam in editione Taruisina anni 1477, quam secundum Calphurnii exemplar Venetum anni 1476 (editionem principem) factam esse demonstrabimus [2]. Contra Aldus Manutius in epistula ad Calphurnium data [3] et editiones plurimae recte scribunt *Calpurnium* per P litteram, quem in nomine eligendo cogitasse de Calpurnia gente, a Calpo Numae filio dicta [4], ex eis sequitur, quae Comnenus Papadopoli [5] tradit auctore Rubeo: scripsisse Calphurnium facetum dialogum in elysiis habitum inter suam et animam L. Calphurnii Pisonis, Romani Chrysologi, ubi contra eos, qui scelesti indoctique fumosas maiorum imagines iactent, Iuuenalis dictum ⟨sat. VIII 20⟩:

Nobilitas sola est atque unica uirtus

acriter defenderit. Eundem dialogum respicere uidetur Regius nostrum Calphurnium malitiose *Calfurnium Bestiam* appellans, cuius nomen a Plutarcho in uita Numae [4] perperam a Calpo deductum sit [6]. Atqui L. Calpurnium Pisonem, cuius nomen propter animi quandam similitudinem sibi indidisse censendus est Calphurnius, num alium dicere poterat chry-

---

[1] In libelli anni 1490 charta XXI et XXII.

[2] V. p. 23. [3] V. p. 12.

[4] Cf. Paulus ex Festo p. 47; Plut. uita Numae XXI 1.

[5] Hist. gymn. Pat. I. p. 293.

[6] In libelli anni 1490 charta XXI.

sologum nisi L. Calpurnium Pisonem Frugi, uirum summa morum probitate atque uitae integritate insignem? Huius enim simplicissimam suauitatem et rei et orationis laudat Gellius[1] et ex eius annali tertio narratiunculam de Cn. Flauio[2] mutuatus ostendit Calpurnio Pisoni Frugi quoque persuasum fuisse nobilitatem ex uirtute, non ex origine ducendam esse.

Illo autem tempore, quo Calphurnius uixit, modo per P modo per PH litteram illius gentis Romanae nomen scriptum esse ex uariorum libris intellegi potest. Veluti Laurentius Valla in adnotatione ad Iuuenalem[3] *Calphurnium* nominat Pisonem consulem, in quem poëtae ignoti exstat panegyricus. Vtramque lectionem praebet elogium sepulcri ipsius Calphurnii[4], in quo latine *Calphurni*, graece *Καλπούρνου* (an potius *Καλπουρν⟨ί⟩ου*?) legimus. Nos, quoniam Calphurnius ipse nomen suum subditicium per PH litteram scribi uoluit, hanc scripturam retinebimus, Regii autem rationem per F litteram scribendi, siue *Calfurnius* ducatur a Calpo, quod improbat, siue a calefaciendis furnis, quo dicterio malitia non celata delectatur, haud inficetam, sed ineptam plane missam facimus[5].

Quo anno natus sit Calphurnius, nullum exstat testimonium. Tradit uero Comnenus Papadopoli[6] ex aduersariorum curiae episcopalis, ex Philippi Bergomensis chronici, ex Pierii

---

1) N. A. XI 14. — De Pisone u. Peter, uet. hist. Rom. rel. CLXXXVIII sqq.

2) Piso apud Gellium VII (VI) 9, ubi Cn. Flauium patre libertino natum, cum scriptum faceret, tamen aedilem curulem factum esse narrauit, hanc habet fabulam: *Idem Cn. Flauius Anni filius dicitur ad collegam uenisse uisere aegrotum. Eo in conclaue postquam introiuit, adulescentes ibi complures nobiles sedebant. Hi contemnentes eum assurgere ei nemo uoluit. Cn. Flauius Anni filius aedilis id arrisit; sellam curulem iussit sibi afferri, eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset utique hi omnes inuiti uiderent sese in sella curuli sedentem.* — Infra (u. p. 59 sq.) uidebimus Calphurnium Gellio esse usum etiam in commentario Terentiano. 3) Sat. V 109. 4) V. p. 14.

5) Cf. Brunet, manuel du libraire et de l'amateur de livres, Paris 1860, t. I p. 1497 sq. s. u. *Calphurnius ou Calpurnius*.

6) Hist. gymn. Pat. tom. I p. 292.

Valeriani, ex Octauii Rubei et apud hunc aliorum constantissimo testimonio *hunc rarissimae eruditionis uirum bonas artes professum fuisse Pataui ab anno 1478 ad annum 1502.* Atque priore anno laude florentem a Rubeo, posteriore ab aduersariis curiae episcopalis rhetoricam publice docentem induci Calphurnium, circa eundem annum mortuum esse referri in Philippi chronico nullamque deinceps in monumentis gymnasticis eius mentionem fieri. Ex Becichemo[1]) discimus obiisse eum sedente in Patauina cathedra Petro Barocio, qui episcopatum iniit anno 1487, mortuus est anno 1507[2]). Aldus Manutius anno 1502 epistulam[3]) dat Calphurnio, ut uiro diligenter adhuc bonis litteris incumbenti; sed hoc non impedit, quominus iam anno 1503 decesserit, cum Pierius Valerianus eum repentina paralysi correptum esse dicat[4]); atque mortuum eum esse anno 1503, quo tempore ei successerit Regius in cathedra rhetoricae profitendae, etiam Zeno Apostolus[5]) affirmat. Denique Becichemus[6]) sexaginta annos uixisse Calphurnium tradit; quo numero detracto de 1503 Calphurnium anno 1443 natum esse comprobatur.

Ortum esse Calphurnium a carbonario fortuna non bene ornato, qui ad filium bonis artibus instituendum nullis impensis pepercerit *suum saepenumero uel necessariis defraudans genium*, Regius ostendit[7]). Comnenus Papadopoli quoque hu-

1) In prael. in Plinium; cf. Quirinus, de Brix. lit. tom. I p. 151.

2) Cf. Gams, series episcoporum eccl. cath. p. 798.

3) V. p. 12. 4) V. p. 13.

5) Diss. Voss. tom. II p. 413. Cf. Tiraboschi, storia della lett. it. uol. IX tom. VI l. 3 p. 1577 et 1581. 6) V. p. 20.

7) In charta XXII lib. anni 1490. Ibi Regius narratiuncula allata apta sane ad misericordiam commouendam Calphurnium impietatis aduersum patrem insimulat. Cum enim ex Bergomatum Alpibus filii uisitandi gratia Bononiam pater uenisset et rustice Zaninum magistrum quaerens neminem inuenire potuisset, qui Zaninum indicaret, quia Calphurnius appellari mallet, et tandem casu eum offendisset, non agnouisse Calphurnium patrem, ita ut is tristis domum rediens desperaret de filio, quem senectuti baculum columenque futurum esse putauisset. Eundem, cum domi a tota uicinia, quid magister Zaninus ageret, rogaretur, *nescio ego,* respondisse, *quid agat; sed iam non Zaninus, sed scalfornius nominatur et quidem me bene scalforniauit* (hoc est magno-

millimo genere natum esse Calphurnium refert, uerum eo ingenio ac labore ad sapientiae gloriam nisum esse, *ut inter celeberrimos aetatis suae latinae graecaeque linguae ac politioris literaturae doctores locum si minus principem, parem certe maioribus meruerit* [1].

Magistrum se habuisse Omnibonum Leonicenum, de quo infra [2] amplius disseremus, ipse fidem facit in epistolio [3] ad Marcum Aurelium Venetae editioni anni 1476 adfixo. Regius cum idem doceat, etiam Guarini Veronensis fuisse discipulum Calphurnium et in disputatione et in dialogo [4] tradit.

Vixisse Calphurnium aliquamdiu Vicentiae, deinde Bononiae ex epistula, quam modo commemorauimus, scimus; atque a Regio quoque paedagogum Bononiae induci uidimus. Hinc eum Venetias, ubi teste Comneno Papadopoli [5] tanta cum laude docuit, ut ad exedram Patauinam proueheretur, peruenisse argumentari licet ex tempore. Vicentia enim discedentem Bononiam se esse profectum paulo ante Omniboni mortem [6] narrat Calphurnius in epistolio ad Marcum Aurelium, quod supra commemoraui. Venetiis anno 1476 commentarium in Heautontimorumenon per Antonium Moretum imprimendum curauit [7], Venetiis autem iam anno 1478 Patauium est arcessitus. Brixiae, qua in urbe degisse eum supra [8] coniecimus, tirocinium studiorum suorum atque primitiae ingenuarum artium facta esse uidentur: ibi autem domicilium habere uix potuit nisi priusquam Vicentiam perueniret.

pere decepit in Bergomatum lingua). Talem immanitatem abhorrere a Calphurnii moribus, quicunque studio et ira uacuus ea perlegerit, quae aliis locis de Calphurnii aequitate atque iustitia firmis testimoniis nisi praedicabimus, intelleget. Atque etiamsi quid ueri subsit huic narrationi certe in maius elatae, hoc profecto premamus, quantopere uacillent et claudicent criminationes hominis, qui dum a docto uiro scientiam ac doctrinam abiudicaturus est, propria simultate commotus ad eiusmodi contumelias publice descenderit.

1) Hist. gymn. Pat. tom. I p. 292.

2) V. p. 42 not. 4. 3) V. p. 42.

4) In lib. anni 1490 charta XIII et XXXIV; cf. p. 46.

5) Hist. gymn. Pat. tom. I p. 292.

6) V. p. 42 sq. 7) V. p. 44. 8) V. p. 7 sq.

Quanta amicitia familiaritateque coniunctus fuerit Calphurnius cum Aldo Manutio, fere aequali typographo illustri, apparet ex epistula dedicatoria editionis principis Herodoti anni 1502, in qua Aldus Calphurnium maximopere praedicat. Huius epistulae maximam partem hoc loco repetam[1], quae quam iniusta sint Regii uituperia, demonstrat:

Aldus Manutius, Romanus, Ioanni Calpurnio, Brixiano. s. d.

Non immemor triti illius sermone prouerbii apud Graecos, χεὶρ χεῖρα νίπτει, Calpurni, uir doctissime, ac Patauini Gymnasii in quo, summa cum laude, profiteris publice et Graecas et Latinas literas, magnum decus, cupiebam ad te aliquid muneri mittere, quo et beneuolentiam erga te meam ostenderem studiosis, et publice testarer te admodum quam humanum esse et liberalem. Nam cum nullum unquam a te petierim beneficium, quod non libenter in me contuleris, idque uel maxime superioribus diebus in bibliotheca tua ostenderis, cum a te M. Tullii Epistolas ad Atticum, Pausaniamque Graecum, quos accurate, et summo iudicio castigatos, enarras auditoribus petiissem; recepisti enim tum eos, tum caeteros libros tuos daturum te mihi cum uelim, non inuitum, ut publicentur, prosintque hominibus excusi characteribus nostris. Cum igitur nullum unquam a te petierim beneficium, quod non libenter in me contuleris, has nouem Musas Herodoti, in aedibus nostris nuper impressas, tibi dicatas, dono damus, quas eo gratiores tibi fore existimamus, quoniam multis exemplaribus castigatae emittuntur ex Academia nostra in manus studiosorum; nam Clio abundat a caeteris quibuscum contulimus exemplar nostrum decem prope chartis, quae et in ea desunt quae a Laurentio Valla tralata habetur. Nec puto apud te integerrimum, ac summa aequitate uirum ideo minus auctoritatis habituras, quod mendaces in historia a nostris habeantur, atque ita, ut propter Herodotum, uel ipsa Graecia, uirtutum omnium parens et alumna disciplinarum, mendax a nonnullis dicatur. Quando

[1]) Sumpta est haec epistola ex libro:
Praefationes et epistolae editionibus principibus auctorum ueterum praepositae, curante B. Botfield, Cantabrigiae 1861, p. 256 sqq.

id errore potius factum, quam quod ita sit, cum accurate Musas ipsas perlegeris, facile cognosces. Nam quoties indignum quid creditu scribit Herodotus, se fere semper excusat, uel οὕτω λέγουσι dicens, uel ὡς ἀκήκοα, uel ὅπερ ἐμοὶ οὐ πιστόν, uel ἅγ' ἐμοὶ ἄπιστα, et id genus quid aliud. Deinde morem esse hominum ait, ut cum quis de aliquo uel iniuria maledixerit, sequantur alii temere et inconsulte, atque id Cretensium exemplo, qui immerito ψεῦσται et ἀπατεῶνες appellentur, illustrat. Finitur epistula his uerbis: *Te uero nostrae sententiae facile accessurum certo scio, quia si quisquam est aetate nostra uerus ac iustus, is tu es. Munus autem hoc nostrum gratissimum tibi futurum non dubitamus, tum ipso munere, tum quia ostendit nos accepti beneficii non esse immemores. Vale.*

In Pierii Valeriani Bellunensis de litteratorum infelicitate lib. I (p. 28) de Calphurnii uita leguntur haec: *Ioannes autem Calphurnius, rarissimae uir eruditionis, qui Patauii, me puero, bonas literas perquamdiu docuerat, nullo unquam tempore non expositus inuidorum obtrectationibus et iniuriis, dum omnia fortiter ferens aduersa, uni studet immortalitati, repentina paralysi percussus, amisso primum uocis beneficio, quae lucubrauerat opuscula pleraque indicare non potuit, eoque incommodo absumptus ignauissimos fucos elaboratis a se operibus nobilitauit.*

Idem Valerianus in odarum libro habet hoc ad eruditos de Calphurnii paralysi carmen[1]:

Professor erudite, doctor elegans,
Poëta literate, rhetor eloquens,
Quicunque Musis dedit⟨i⟩ pallescitis:
Nolite quidquid lectione plurima
Et erudita consequi uobis datur,
Id omne auaro consecrare pectori,
Vt nil futuro conferatur saeculo.
Exemplo habete singuli Calphurnium.
Sciebat ille, quidquid est sciri datum

[1]) Edit. Venet. a. 1558 p. 96.

In expolitis undecunque literis,
Seu Graeca uelles, seu Latina posceres.
Sed dum tenaci supprimit sinu omnia,
Nil editurus et sibi tantum studet,
Perinde natus ac sibi tantum foret,
Congesta iam tot literarum pondera
Stipata memori tot diebus uertici
Ciere bellum: hinc conserunt simul manus
Pugnantque nixa uiribus contrariis,
Vt longa soluant carceris ligamina.
Soluere demum et impetu tali caput
Rupere, ut omne excusserint cerebrum, ac statim
Is destitutus impotensque corruit,
Luctu et dolore quaeritandus omnium.
Quicunque libris igitur impallescitis,
Exemplo habete singuli Calphurnium.

Decessit Calphurnius Pataui conditusque est in templo S. Ioannis ad Viridaria, ubi exstat eius mausoleum cum simulacro. Leguntur in eo haec duo disticha [1].

Τοῦ πάνυ εὐσυνέτου Καλπούρνου [2] *ἐνθάδε σῶμα,*
Φέρτερον αὖ κείνου πρόςλαβεν ἄστρα μέρος.
Calphurni cineres sunt hic, possessor Olympi
Est animus, uolitat fama per ora uirum [3].

In Aristotelis libri de animalibus exemplari, quod ex libris Calphurnii erat, quem bibliothecam suam coenobio canonicorum regularium S. Ioannis ad Viridaria legasse audiuimus, hoc legitur hendecasyllabum:

Hoc Calphurnius inclytum uolumen
Graecis qui fuerat iubar latinis

---

[1] Comneni Papadopoli hist. gymn. Pat. tom. I p. 292. Cf. Quirinus, de Brix. lit. tom. I p. 164 et Tiraboschi stor. d. lett. ital. uol. IX tom. VI l. 3 p. 1582.

[2] an potius *Καλπουρν⟨ί⟩ου*?

[3] Cf. Ennii epitaph. apud Ciceronem seruatum tusc. disp. I 34:
Nemo me lacrumis decoret nec funera fletu
Faxit. Cur? uolito uiuus per ora uirum.

Pridem canonicis dedit Ioannes.
Da, lector, cineri pio quietem.

Praeterea Comnenus Papadopoli[1], in libris Calphurnii, quorum partem etiam tum uiuens coenobio donauerit, complures inesse annotationes uel ab ipso uel ab alio factas[2]) addit breuemque laudat inscriptionem ex Suetonii quodam manuscripto, quae Calphurnium oratoriam artem graece et latine gloriose docentem praedicet.

Cassandra Fidelis[3] Calphurnium eloquentiae lumen tutoremque bonarum artium appellat. Ioannes Antonius Flaminius[4] in epistula ad Antiquarium scripta multa praedicans de comitate liberalitateque, qua se Calphurnius receperit atque inuitum per plures dies Patauii retinuerit, *hominem ad unguem factum* dicit Calphurnium. Cui respondens Antiquarius[4] se quoque Calphurnium diligere magnique aestimare confirmat.

Haec sufficerent ad uitam Calphurnii illustrandam, nisi furor uerborumque impetus, quo uesana bili exaestuat Regius aduersus Calphurnium, me cogerent ad hanc rem redire. Corruptissimorum enim Calphurnius morum foret homo neque ullius in litteris numeri, si exigua tantummodo pars eorum esset uera, quibus Regius eum insectatur[5]).

In disputatione anno 1488 scripta et Hermolao Barbaro dicata Calphurnium rhetoricam in Academia Patauina profitendam per scelera obtinuisse Regius contendit[6]). Cum enim anno 1482 remoto Cataldo Siculo, minus apto huic muneri, sibi demandatum esset hoc munus, iam tum com-

1) V. supra p. 14 not. 1.

2) Operae pretium sit omnes has colligere inscriptiones, cum fieri possit, ut aliquid contineant, quod ad uitam uel ad scripta Calphurnii pertineat. V. supra p. 7. Thomasinus, bibl. pat. mss. p. 25 talem annotationem ex Odyssea Homeri soluto carmine, quam dono dederat Calphurnius, recitat; quae est aequalis fere ei, quam proposuimus ex Aristotelis libro de animalibus.

3) Cf Cassandrae Fidelis epistolae et orationes ed. I. Ph. Tomasinus Patauii, 1636, p. 6; cf. etiam p. 31 uit.

4) Cf. Tiraboschi, stor. d. lett. it. uol. IX t. VI l. 3 p. 1581.

5) De his iurgiis plura tradit Quirinus, de Brix. lit. t. 1 p. 91 sqq.

6) In lib. anni 1490 charta XII. Apud Quirinum t. I p. 97 sqq.

petitorem Calphurnium turpissimam tulisse repulsam. Functo per quattuor annos pro uiribus officio suo iterum una scholasticorum iuuenum uoce comitiorum die sibi esse delatam lecturam; sed Calphurnium suarum ineptiarum sibi conscium ad flagitiosissimas conspirationes confugisse atque rectore iniquissimo adiuuante effecisse, ut ipsi lectura demandaretur (1486). Rectorem enim, potius ruptorem corruptoremque appellandum, plura quam debuisset suffragia aduersus se tulisse compluresque sceleris socios idem fecisse [1].

Disputationem efflagitantibus iuuenibus studiosis se ideo scripsisse docet Regius, ut publice confutaret calumnias, quas saepius in se priuatim publiceque Calphurnius iactasset, et exploderet foedissimos errores a Calphurnio disseminatos, posteaquam ipse desiisset profiteri [1]. Sed confutantem uix semel uideo Regium, explodentem semper, cum contumelias grauissimas in Calphurnium effundat. Eius profitendi facultatem atque rationem sic ludificatur Regius [1]:

Rhetoricam suis ineptiis ita per duos annos inquinauit (1486—1488), *ut non solum tres una hora, quod uix triuialibus uicorumque magistris datur, explicet lectiones, sed in foedissimos quoque et soloecismos et barbarismos inter legendum quotidie incidat, deprauataque incuria librariorum exemplaria cum emendare ingenii tarditate nesciat, peruerse auctorum scripta et legat et exponat. Quare ab omnibus scholasticis iuuenibus, qui aliquid in litteris profecerunt derelictus, puerulos corrogat, quibus se primum esse mundi hominem, primumque Italiae lumen impudentissime iactare quotidie non desistit, eoque uesaniae peruenit, ut neminem praeter se quicquam litterarum scire sibi persuadeat, seque primum artis oratoriae professorem putet, cum neque latina, neque uernacula lingua, nisi ineptissime loqui sciat.*

Haec fere sunt, quae profert Regius aduersus Calphurnium. Quamquam tam saepe rem repetit, ut haud raro eadem sententia bis terue legatur. Quare breuiter referam de reliquis:

---

[1]) Haec omnia in lib. anni 1490 charta XII; ap. Quirinum t. I p. 97 et 98.

Propter linguae et ingenii tarditatem, cuius ita natura damnatus sit, ut *aratoriae* arti quam *oratoriae* sit aptior, Calphurnium non audere secum in litterarium certamen descendere. Namque illum aetate aequalem fere neque dignitatem neque opera composita neque orationes habitas tam superbum facere posse, ut alienum ducat maiestate sua descendere in hoc certamen. Neminem esse, qui Calphurnium unquam, *nisi blatterantem, perindeue atque taurum mugientem audierit*[1].

Discipulos paulo eruditiores, cum Calphurnium ab arte oratoria penitus abhorrere uiderent, partim se ad alia studia conuertisse, partim Ferrariam Bononiamue esse profectos: item adulescentes scholasticos Germanos, Vngaros atque omnes fere Transalpinos propter eius ineptiam Academiam Patauinam reliquisse[2].

Calphurnium non solum librariorum errores non corrigere, sed insuper multa corrumpere, ueluti in Suetonii Caesare *sponsam* pro *sponda* et legisse et exposuisse[3]. Atque nebulonem uanissimum eum esse Persii satiras argumento esse, quarum ne unum quidem obscuriorem sensum recte exposuerit, uerum suis ineptiis ita omnia confudisse, ut auditorum nemo prorsus, quae diceret, perspiceret et in plerisque Persius sibi ipsi contradicere uideretur[4]. Nihil eum inter legendum nisi uerborum, quam uulgo dent, constructionem et quidem confuse afferre; quam ob rem discipulos eum *perinde atque asinum ad lyram natum* deludere[5].

Denique esse eum ex iis paedagogis[6], de quibus Quintilianus[7] *nihil enim*, inquit, *peius est iis, qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi falsam sibi scientiae persuasionem induerunt. Nam et cedere praecipiendi peritis indignantur, et uelut iure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus*

---

1) In lib. anni 1490 charta XIII. Apud Quirinum t. I p. 99.

2) Ib. in charta XVII.

3) Ib. in charta XVII; Suet. Caes. 49. Sane errauerit Calphurnius, nam ibi Dolabella Caesarem per conuicium *pellicem reginae, spondam interiorem regiae lecticae* appellat; sed u. Becichemi defensionem p. 21.

4) Ib. in charta XVIII.

5) Ib. in charta XXIII.

6) Ib. in charta XVI.

7) Inst. or. I 1, 8.

intumescit. imperiosi atque interim saeuientes stulticiam suam perdocent.

Quam pueriles nonnunquam res immisceat Regius, haec narratiuncula demonstrabit: *Tu cum in oratione, quam de Academiae rectoris laudibus Kalendis maiis. te qui nunc artem oratoriam profiteris, cum summo tuo dedecore tacente, habui. dignitatem quoque corporis ipsius commendassem dixissemque flauam Caesariem maximam prae se ferre animi lenitatem, nunquam destitisti blatterare. me potius rectorem ut mollem uituperasse quam ut dignitate corporis praestantem laudasse*[1]).

Ex Regii dialogo. quem per duos dies cum Calphurnio de quibusdam Quintiliani locis se habuisse narrat. unum tantummodo locum repeto. ex quo dilucide cognoscatur illum esse fictum:

Raphael: Quis crederet Calfurnium, qui se primum Italiae lumen primumque mundi hominem esse iactat —

Calfurnius: Et sum fortasse.

Raphael: Scio summopereque laetor mihi rem esse cum tanto uiro. Sed quis crederet te ea ignorare. quae ne mediocriter quidem doctis sunt ignota[2]) ?

Paulo post *Gloria Romanae*, inquit, *Quintiliane, togae*[3]). *in cuius manus peruenisti exponendus*[4]) ?

Denique Calphurnium abeuntem inducit his uerbis: *Ego non possum amplius loqui dolore oris, quem patior*[5]).

Sed paene oblitus sum enarrare. cur Bestiae cognomine Regius appellauerit Calphurnium. De hac re in epistula ad Sigismundum Vngarum data haec refert: *Calfurnius iste. cuius foedissimos errores in Academia disseminatos reprehendebam. cum argumentis stulticias suas non solum tutari non posset. uerum in dies quoque magis. magisque rudis. et imperitus deprachenderetur, ad arma confugit. ac flagitiosissimos quosdam*

---

1) In lib. anni 1490 charta XX. 2) Ib. in charta XXVI.

3) Pentametro Martialis (II 90, 2) utitur Regius.

4) In lib. anni 1490 charta XXVIII.

5) Ib. in charta XXXIV.

e suis immisit, qui me pugionibus aggrederentur. Istud uero mihi ab omni ciuilitate, non modo a studiis humanioribus, ita uisum est alienum, ut ad naturam ferarum proxime accedere, meritoque bestiam cognominari coeptum ab omnibus, quibus id notum est, et iudicari, mihi persuadeam [1]).

Eandem rem narrat etiam in dialogo atque addit a famulo Bestiae Bernardinum Viridem iuuenem de tam atroci iniuria sibi illata conquerentem stricto ense percussum esse. Bestiam igitur dignum esse, *qui in aliquem desertarum insularum, ne humanam societatem ac studiorum praesertim amoenitates infectet, primo quoque tempore deportetur* [2]).

De alia quoque inter Regium et Calphurnium controuersia Quirinus amplius disserit. Regius enim scripsit in Ouidianas metamorphoses enarrationes; in quas quendam Ioannem Calphurnium grammaticulorum arrogantissimum cauillationes ineptas edidisse queritur in editione Mediolanensi anni 1518 [3]).

Exstat ad calcem editionis Mediolanensis anni 1518 et Venetae anni 1540 iudiciaria Regii clamitatio ad Venetorum aduocatorum collegium, qua sibi iustitiam petit aduersus suarum enarrationum deprauatores [4]). In hac Calphurnium non nominatum quidem, sed satis descriptum enarrationes suas apud Simonem Scotum anno 1492 impressas [5]) ineptiis consulto inquinasse ac deprauasse Regius arguit, ut omnia sua euerteret atque ubique et in omne tempus infamaret.

Sed taedet me innumerabiles uerborum contumelias conuiciaque proferre hominis nondum obliti repulsae eius, quam ex Academia Patauina extrusus tulerat. Hoc fateor, non multos me legisse libellos contumeliosiores a docto homine scriptos contra doctum. Sane concedamus Regio quosdam uariorum scriptorum locos et male lectos esse et explicatos a Calphurnio, quod idem in commentario diiudicando uidebimus. Sed

---

1) In lib. anni 1490 charta XXXV. Ap. Quirinum t. I p. 101.

2) Ib. in charta XXXIV.

3) Cf. Quirinus t. I p. 91. 4) Ib. t. I p. 92 sqq.

5) Cf. Fabricius, bibl. lat. med. et inf. aet. (ed. Mansi) t. VI p. 354.

cui hoc mirum esse potest eo tempore, quo litterae, quae per tot saecula iacuerant, reuiuiscebant?

Ceterum defensorem Calphurnius contra tot tamque grauia opprobria meliorem habere non potuit quam eum discipulum, qui eius uitam atque doctrinam plane pernoscens atque magistro dilectissimo totus addictus omnia a Raphaele in Calphurnium prolata quasi calumnias retundit. Is est Marinus Becichemus[1]), qui in praefatione ad praelectionem in Plinium Andreae Lauretano praetori dicatam, quem Venetum Catonem, alterum Aristidem et studiorum suorum Camillum appellat, eximiam Calphurnii doctrinam atque uitae innocentiam celebrat. Namque enumeratis doctis uiris, quos Raphael insectatus erat (dixit Georgium Alexandrinum, Landinum, Omnibonum, Varinos, Vbertinum, Maturantium, Mancinellum, Amaseum, Britannicum, Fontium, Merulam iuniorem, Volscum, Georgium Trapezuntium et Beroaldum), haec de Calphurnio scribit ad Brixianos:

Quid praeterea in Ciuem uestrum Ioannem Calphurnium non euomuit, uirum inuicti a cupiditatibus animi, rigidaeque innocentiae, et omni literarum laude dignissimum? Calphurnium, inquam, illum Rhetorem, Graece, Latineque tam eruditum, tam praestabilem, tam ut temporibus priscis excellentem, cui puer operam dedi, neque usquam a senis latere iuuenis discessi; cuius mores ii fuerunt, ut non homo in terris natus, sed de Coelo lapsus crederetur. Coelibem se, purumque per annos sexaginta, quos uixit, interiorem aeque, atque exteriorem hominem praestitit, uere coelestem uitam in terris agens, tanta fide, tanta sinceritate, tanta sanctitate erat omnibus admirabilis, ac uenerabilis, ut ad eum tanquam ad Pythagoram, et Liuium alterum concursus fieret. Verum de summis, ac prope diuinis eius laudibus minus libet plura dicere, ne illas in transcursu attingendo diminuam, quas etiam plena oratione,

---

[1]) Quirinus t. I p. 102 sqq. De Becichemi et Calphurnii contubernio u. illius praefationem in Ouidianas annotationes apud Quirinum t. I p. 107. — De scriptis Becichemi cf. Io. Britannici catal. doct. hom. apud Quirinum t. I p. 84.

culpa ingenii, in supremo eius funere deterere uisus sum[1]. *Illud unum silentio non praeteribo, Ioannem Calphurnium neminem sibi umquam inimicum fecisse, neminem odio habuisse, in neminem inimicitias exercuisse.*

In hunc tamen sanctissimum Virum, in hunc, inquam, coelibem hominem, et qui uere coelestem uitam in terris egit, impetum fecit calumniator quidam, cuius nomini parco, et quasi debilitatus coluber inuasit, innocentem carpere, multisque libellis difamare conatus est. Credidi stulte, neminem laedendo nullum mihi inimicum facere posse, sed neminem absque inimicis esse Vir integerrimus Ioannes Calphurnius nobis est documento. Quos enim inimicos non suscipit iniuriarum abstinentia, suscitat inuidia, quam nemo unquam spectatae uirtutis potuit deuitare.

Et paulo post: *Ausus est sacrilegus iste tot commenta machinari; et rem foedam foediorem impuro calamo facere, quippe qui his uerbis scurrilibus tales edidit titulos: 'In errores, et in expositiones cuiusdam Calphurnii Bestiae'. Haec uerba uere bestiam, et beluam sonant, quae si tacuisset, et famae et rei suae melius consuluisset, animaeque, et salutis rationem habuisset. Mentitur se cum Calphurnio contendisse coram, quicum sermonem nusquam habuit, id quod ipsemet non uno in loco testatur. Existimauit homo nequam, hoc sibi magnae laudi fore, si loca quaedam nonnullorum auctorum a doctissimo undequaque Calphurnio, male explanata confingeret, in quibus, ut in caeteris, et impudentissimus, et uanissimus esse deprehenditur. Nam cum nullius sit frontis ex quibusdam Grammaticorum nostri temporis commentariolis hinc, et inde ea temere collegit, sibique ascripsit. Sed ita insulse, et inepte digessit, ut ex officina ferruminantis, ueluti fuliginem nigram referentia, processisse uideantur. Tum dicta Calphurnii surripuit, quemadmodum ab auditoribus excepta fideliter erant: quaedam dedita industria deprauauit: quaedam magna sibi ingratitudine ascripsit, quae si quis ex suis auferat chartis, tanquam Cornicula furtiuis nudata coloribus risum captabit. Ingenium ho-*

---

[1] Cf. Zeno Apostolus, diss. Voss. t. II p. 419. Fabricius, bibl. lat. med. et inf. aet. (ed. Mansi) t. V p. 29.

minis istius Academia Patauina exosa a se detrusit. spurcissimam linguam doctissimi quique oderunt Calphurnius non ita. qui uita inculpatissima fretus, istius potius miseratus, quam detestatus, insaniam, maledicta omnia prudens contemnebat.

Addit Quirinus[1]) ex eadem praelectione Becichemi locum, quo Regii Ioanni Taberio in assequenda cathedra posthabiti in Brixianum senatum ostendat proteruitatem.

Ceterum iurgia inter Regium et Becichemum per multum temporis sunt continuata[2]).

Dolendum autem est, quod Becichemus iustae irae sic indulgebat, ut uicissim paulo inflaret uehementius in Regium, quem haud indoctum uirum fuisse omnes tradunt. Atque eidem munus rhetoricae profitendae in Academia Patauina anno 1503 post mortem Calphurnii iterum est demandatum[3]).

Denique Erasmi, qui cum in Italiam uenisset circa annum 1506 Patauii Regium cognouerat, de eo utor testimonio, ut ne Regii quidem laus deminuatur, simulque ex corporis robore eius etiam animi asperitas intellegatur: *Patauii neminem uidi celebrem, praeter Raphaelem Regium hominem admodum natu grandem, 'sed cruda uiro uiridisque senectus'*[4]). *Erat tunc, ut opinor, non minus annis LXX, et tamen nulla fuit hyems tam aspera, quin ille mane hora septima adiret M. Musurum Graece profitentem, qui toto anno uix quatuor intermittebat dies, quin publice profiteretur. Iuuenes hyemis rigorem ferre non poterant; illum senem nec pudor nec hyems abigebat ab auditorio*[5]).

At de his iurgiis iam satis: nunc de scriptis Calphurnii excepto commentario in Heautontimorumenon disquiramus.

[1]) De Brix. lit. t. I p. 104.

[2]) Quirinus, de Brix. lit. t. I p. 106. Tiraboschi, stor. d. lett. it. uol. IX t. VI l. 3 p. 1577.

[3]) Cf. Tiraboschi ib. Ioannis Britannici catal. doct. hom. apud Quirinum, de Brix. lit. t. I p. 84, qui Regium *graece latineque impense eruditum* appellat. Zeno Apostolus, diss. Voss. t. II p. 413.

[4]) Verg. Aen. VI 304.

[5]) Erasmus, ep. 671. t. I. Cf. Tiraboschi, stor. d. lett. it. uol. IX t. VI l. 3 p. 1578.

Calphurnium omnium Terentii fabularum accuratam recognitionem fecisse Quirinus[1]) effici uult ex duabus notis, quarum altera ad calcem editionis Taruisinae anni 1477, altera Venetae anni 1508 legitur:

P. Sexti Terentii Afri cum Aelii Donati Grammatici examinata interpretatione finis.

Insuper addita est Calphurnii in Heautontimorumenon Terentii accurata expositio.

Lepidas, elegantesque Terentii Comoedias cum Donati Interpretis commentario iuxta fidele Calphurnianae castigationis exemplar, doctrinam, studiumque Calphurnii Hieronymo Bononio enixe commendante Hermannus Leuilaps[2]) Coloniensis probatissimus Librariae artis exactor summa confecit diligentia.

Taruisii anno Christi MCCCCLXXVII
XIV. KL. Octobres.

Altera est haec:

Finis Commentariorum Aelii Donati super P. Terentii Afri Comoediis, nec non Ioannis Calphurnii super Heautontimorumenon, nec non cum ipsius emendatione totius Operis. Impressum Venetiis per Lazarum de Soardis die XXVIII. Martii MDVIII.

Neque tamen dubito meam de hac re sententiam Quirino opponere. Eidem enim Taruisinae editioni Calphurnii epistolium, quod praefationis loco scripsit in commentarium suum ad Marcum Aurelium, adfixum est[3]). In eo Donatum multis locis maneum corruptumque suo labore emendatum esse gloriatur, quod non monuisse Quirinum miror. Sed nequaquam id commemorat, se Terentii quoque fabulas emendauisse, quarum in tota epistula nulla fit mentio, immo addit Antonium Moretum adulescentem curasse, ut annotationes in Heautontimorumenon una cum Donato diligenter imprimerentur. Praeterea Quirino praesto erat Veneta editio anni 1476.

---

1) De Brix. lit. t. I p. 56 sq.

2) Non *Leuilapis*, uti apud Quirinum legimus. Repetitur *Leuilaps* in Bononii carmine, ubi *Leuilapis* ne metri quidem ratio ferret.

3) Integrum epistolium recitabitur infra p. 40—45.

quam frustra in compluribus Germaniae bibliothecis me quaesiuisse doleo, cum inesse in ea epistulam ad Marcum Aurelium, quae iterum impressa est in editione Taruisina anni 1477, referat[1], sententiamque ex ea recitet[2]. Certe uero ex ista Calphurniani commentarii editione principe Calphurnium Terentii fabulas recognosse non intellegitur. Quod ni ita se haberet, Quirinus ad sententiam suam comprobandam non ad editionem Taruisinam anni 1477 et Venetam anni 1508 quinque annis post Calphurnium mortuum impressam confugisset.

Omnis autem difficultas tollitur, si modo Taruisinae editionis uerba *iuxta fidele Calphurnianae castigationis exemplar* ad solum Donati interpretis commentarium recte referas, nec uero simul ad elegantes Terentii comoedias. Quid autem praeter Donatum emendatum *doctrina studiumque* Calphurnii aliud esset, quam eius in Heautontimorumenon expositio, quam Hieronymus Bononius quasi Donati supplementum enixe commendat? Ita si explicas, omnia maxime cum Calphurnii epistula congruunt.

At enim in editione Veneta anni 1508 expressis uerbis dicitur de Calphurnii emendatione totius operis Terentii, praesertim cum in auersa pagina subsequatur monitum ad lectorem, quo significatur, *uulnera, imo uero flagitia, quibus incuria librariorum diuinum Terentii Opus scatebat, tanquam senticetum, aut lemuribus infame domicilium, Ioannem Calphurnium, optimo quo praestabat, ingenio, seu contexisse, seu sanasse, seu euulsisse in libris per Lazarum impressis, cauendumque proinde ab impressionibus aliorum impensa curatis*[3].

Haec opinio summouenda est libros per Lazarum impressos recensitos esse ab ipso Calphurnio, qui iam ab anno 1486 rhetoricae artis professor fuerat. Praeterea in manu habeo editionem Venetam anni 1501 ex ipsius Lazari officina nihil tale indicantem, item editionem anni 1511.

---

[1]) De Brix. lit. t. I p. 54.

[2]) Ib. p. 123, ubi corrigas *Terentii* pro *Horatii*.

[3]) Quirinus, ib. p. 57.

Liceat igitur suspicari notam editionis Venetae anni 1508 factam esse ex nota Taruisinae editionis anni 1477 non recte intellecta. De quaestuosa Lazari ratione sua exempla prae aliis editionibus commendandi dicam eo loco, ubi de interpolationibus commentarii Calphurniani agetur (p. 37 sq.).

Calphurnium omnium primum Catulli carmina tot annis barbarorum manibus deturpata ita castigasse, ut a maximis uitiorum sordibus expurgarentur [1], traditur ab Hieronymo Auantio in epistula ad Augustinum Morauum Olmucensem Venetae Catulli editioni anni 1520 adfixa [2]. *Quis enim*, inquit, *ante Calphurnii castigationem Catulli scripta non stomachosus attingebat? Hic porro, quantum humani uires ingenii passae sunt, uno mense elaborauit, ut quatuor illi Poëtae emendatiores haberentur.*

Quattuor illi poëtae intra unius mensis spatium a Calphurnio emendati exstant in editione Vicentina Catulli, Tibulli, Propertii, Papinii Statii siluarum anni 1481, ubi Calphurnius ipse in praefatione ad Hermolaum Barbarum, *Iuris utriusque Doctorem peritissimum, Oratorem facundissimum, et Philosophum eruditissimum* non nimiam fiduciam ostentans scribit haec [3]: *Superioribus diebus a quibusdam adolescentibus studiosis rogatus, ut Propertium, aut si nollem hunc, Papinii syluas lectione quotidiana interpretarer, ne desiderium eorum frustrarer, promisi me facturum, quod uellent. Quapropter cum percurrere coepissem id opus, quod Venetiis impressum est, quod hos Poëtas clarissimos continet, Catullum, Tibullum, Propertium, et Syluas, tot mendis refertum esse deprehendi, ut longe plura essent uitiosa, et deprauata, quam quae emendata. Nullus certe sensus ex his elici poterat. Confestim conueni nonnullos impressores, et eos cohortatus sum, ut iterum id opus imprimerent ea correctione, qua pollicitus sum. Possum igitur gloriari, me non id emendasse, sed fere totum exscripsisse, ut quisquis deprehendere poterit collato utroque exemplari.*

---

1) Quirinus, de Brix. lit. t. I p. 59 sqq.
2) Ib. p. 60 sq. Scripta est haec epistola Prid. Id. Oct. 1493.
3) Ib. t. II p. 295 sq.

Et sub finem praefationis Calphurnius se maiori celeritate opus illud properasse affirmat, *quod Bartholomaeus Paiellus Vicentinus, Eques clarissimus, et nostri temporis Poëta cultissimus, ingenti auiditate id perlegere cupiebat; is est et tui amantissimus, et obseruantissimus.*

Cum laude meminit Augustinus Morauus Olmucensis in epistula[1]) Venetae editioni Catullianae anni 1520 addita Calphurnii emendatoris Catulli, cum dicit se Auantii emendationes in Catullum Leonico Patauino, Iacobo comiti Iuliario Veronensi, Aurelio Ariminensi ac Calphurnio Brixiensi perlegendas dedisse, eosque omnes uiros esse *nulla non laude maiores* pronuntiat[2]).

Contra Antonius Parthenius Veronensis in praefatione commentariorum in Catullum, quae legitur in editione Brixiensi anni 1485, quamquam non esse conticenda, quae tum in emendando tum in interpretando Catullo docti uiri praestiterint, confitetur, monet se Catulli poëmata locis supra centum mendosa deprehendisse, itaque uerissimum esse eruditissimi cuiusdam uiri dictum, tantam esse Catulliani libri confusionem tantamque inuersionem, *ut si ab inferis reuocaretur Catullus, carmina sua non esset agniturus*[3]).

Cauendum est igitur nobis, ne Quirinum secuti laudationibus, quales ea aetate facile praedicantur, confisi Calphurnii emendationibus Catulli nimium pretium statuamus, id quod ne ipse quidem Calphurnius fecit.

Nec minus falso Quirinus, dum nimis studet Brixianam litteraturam in libro suo celebrare, mihi uidetur statuere Calphurnium etiam Ouidii opera emendasse[4]). Iam Poekelium in indice scriptorum philologicorum, quem ex Quirino hausisse puto, de Quirini sententia dubitantem uideo, quae innitatur in solo Calphurnii carmine ad lectorem. Legitur enim in Ouidiana editione anni 1474 per Iacobum Rubeum impressa:

---

[1]) Quirinus, de Brix. lit. t. I p. 62 sqq. Scripta est haec epistula anno 1494.

[2]) Ib. p. 65. [3]) Ib. p. 74. [4]) Ib. p. 90.

Perlege Nasonis diuina Poëmata, Lector,
Musarum qui uis fontibus esse sacer.
Hic dedit ad reliquos compendia summa Poëtas,
Inuia qui primus per loca fecit iter.
Corpora ter quino mutata Volumine finxit,
Vnde fere est omnis fabula nota tibi.
Alterno teneros tibi carmine lusit amores,
Sanauitque sua uulnera facta manu.
Caesare dein laeso Geticum relegatus in orbem
Composuit Fastos, exiliique modum.
Sed dignum, haec Veneta qui Gallicus urbe Iacobus
Impressit, mirae condidit artis opus.

Hoc profecto non est dubium, quin Calphurnius, si Ouidii operum emendationem curasset, in carmine suo, quo tantummodo Rubei editionem commendat, id aliquo modo indicaturus fuerit. Notus enim mos erat eruditorum eius aetatis hominum carmina scribendi ad lectorem, quibus librum editionemue praedicarent commendarentque. Cuius rei ipse Quirinus testimonium affert ex editione a. 1492 Veneta Laurentii Vallae de linguae latinae elegantia recitans epigramma, quo Calphurnius noster Vallae elegantias ornauit[1]:

Calphurnius Antonio Pasqualino de Sancto Germano Campaniae S.

Restituit quondam Patriae uexilla Camillus,
Et raptas Gallis solus ademit opes.
Rettulit eloquium nostro Laurentius aeuo,
Et Capitolinae contulit arcis opem.
Barbara cuncta iacent, sunt hoc et uindice pulsi
Quicunque a Gothis signa relicta colunt.
Quod tibi debebit semper studiosa Iuuentus,
Campani, Antoni, gloria magna soli.
Namque tua impensa totum uulgatur in orbem
Vallensis, notus quam fuit ante magis.

---

[1] De Brix. lit. t. II p. 60; idem epigramma iam legi in editione Veneta anni 1476 refert Quirinus ib. t. I p. 54.

Recte addit Quirinus hoc loco editorem in animo habuisse, quid de opere senserit Calphurnius, hoc epigrammate aperire.

Haec dicenda sunt de scriptoribus latinis a Calphurnio emendatis illustratisque; nam de graecis auctoribus Calphurnii opera emendatis nusquam quicquam traditum inuenimus, nisi omittere uolumus Calphurnium Domitii Calderini in Iuuenalem summa cura recognouisse expositiones omnibusque ceteris[1], quas uidisset, praetulisse, cum abstrusa in lucem proferrent[2]. Id discimus ex epistula a Calphurnio ad Antonium Moretum data, quae legitur ad calcem commentariorum Domitii Calderini anni 1474. In eadem epistula exstat etiam Calphurnii iudicium, quo maximopere laudat Calderini in Martialem lucubrationes plane alienas a commentariis turbae cuiusdam rudis, quae ineptias grauissimas effundat[3].

Ex Comneno Papadopoli iam supra[4] audiuimus scripsisse Calphurnium dialogum inter animam suam et Lucii Calphurnii Pisonis in elysiis habitum. Addit auctore Rubeo scriptas esse a Calphurnio multas satiras et comoedias aliquot facetissimas[5].

Nec praetermittendum est Calphurnii, quem breuibus carminibus ad lectorem scriptis poëticen attigisse iam supra uidimus, carmen, quod exstat ad calcem Vicentinae editionis Catulli, Tibulli, Propertii, Papinii Statii siluarum anni 1481 per Ioannem Rhenensem et Dionysium Bertochum curatae, quod olim se scripsisse in praefatione affirmat[6]. In eo canuntur laudes Ioannis Inderbachii, pontificis Tridentini et passio interitusque beati Simonis pueri a Iudaeis saeuissime trucidati Tridenti die 24 Martii anni 1475[7], circa quod tempus carmen certe scriptum est.

1) scil. Angeli Sabini, Georgii Merulae, Georgii Vallae, Antonii Mancinelli; cf. Quirinus ib. t. I p. 144 et 145.

2) Quirinus ib. t. I p. 148. 3) Ib. p. 153.

4) V. p. 8. 5) Hist. gymn. Pat. t. I p. 293.

6) Quirinus, de Brix. lit. t. II p. 289 sqq. maximam carminis partem repetit.

7) Cf. Histoire universelle de l'église catholique par l'abbé Rohr-

De hoc carmine Baptista Guarinus in dissertatione de latinae linguae reparatione haec scribit: *Quid Calphurnio copiosius? quidue eruditius? an eius carmen mediocri uidebatur uobis laude dignum?* Contra Regius carmina Calphurnii *nullis Musis nulloque Apolline* scripta appellat[1]), poëticorum quidem operum eum nullam nisi uulgarem tenere cognitionem, quamuis multi illi faueant[2]).

Finitur carmen sic:

Sunt quoque Pieridum, qui uix a fonte reuersi
Hac in parte meum carmen damnare uidentur,
Quod magis ingenium deceat consumere nugis,
Sed sat erit, sacer Antistes, si nostra probabis,
Franciscusque Tronae celeberrimae gloria gentis,
Finibus extremis qui nunc dat iura Tridenti.

Calphurnium non inexercitatum fuisse in uersibus faciendis hoc carmen demonstrat, quamquam id alia nisi lusus appellatione significari uix potest.

Denique occurrit mihi epistula Calphurnii ad Antonium Moretum Brixiensem in editione rudimentorum grammatices Nicolai Perotti anni 1475 per Gabrielem Petri de Taruisio[3]), in qua hunc librum[4]), ut in scholis Brixianis usurpetur, commendat maxime despiciens doctrinale puerorum[5]) ab Alexandro de Villa Dei uersibus confectum, quod usque ad id tempus omnium in usu fuerat. Nullam enim excusationem esse dicit eis, qui posthac *Alexandri barbari carmen ineptum, quod a uera, et prisca illa Grammatica prorsus alienum, caeterasque huiuscemodi ineptias legere pergent.*

---

bacher, continuée par Fèvre, Paris 1873, t. X p. 500 sqq. Grande vie des Saints par M. I. Collin de Plancy, Paris 1873, t. VI p. 391 sq. Acta SS. 24 Mart.

1) In lib. anni 1490 charta XIII. Apud Quirinum, de Brix. lit. t. I p. 99.

2) Ib. in charta XVIII.

3) Quirinus, de Brix. lit. t. II p. 59.

4) Haec rudimenta primum ad usum Pyrri nepotis scripta sunt anno 1468. Cf. Voigt, *die Wiederbelebung des klassischen Alterthums* II p. 381.

5) Vid. Voigt, ib. II p. 377. Thurot, de Alexandri doctrinali. Par. 1850. Cf. Quirinus, de Brix. lit. t. II p. 1 sqq.

In hac epistula dies annusque non adscriptus est, nec ubi sit scripta apparet. Quomodo autem Calphurnio scholae Brixianae curae esse poterant, nisi ipse ea in urbe magister fuisset? Itaque haud alienum sit a proposito, hoc loco addere ea, quae Calphurnium Brixiae et uixisse et docuisse mihi demonstrare uidentur.

Marinus Becichemus Scodrensis, quem praecipuum Calphurnii defensorem fuisse docuimus, in praefatione[1]) in Ouidianas annotationes omnia se debere profitetur duobus praeceptoribus suis Christophoro Barzizio et Ioanni Calphurnio collegis. Tradit uero Quirinus Christophorum Barzizium, diuersum utique a Bergomate eiusdem nominis, medicinae in Patauino gymnasio professore, floruisse inter Brixianos humanarum litterarum professores[2]). In Eeksteini nomenclatore philologico Becichemum anno 1477 in Italiam uenientem Brixiae litterarum studiosum fuisse lego[3]). Haec omnia bene congruerent, nisi difficultas esset in temporum ordine. Namque Calphurnium Patauii (1478—1503), antea Venetiis (1476—1478), prius Bononiae ac Vicentiae degisse comprobauimus. Atqui in descriptione temporum, quibus docti aetatis renatarum litterarum uiri uixerunt, tantam esse adhuc confusionem intellexi, ut Becichemum aliquanto prius in Italiam uenisse Brixiaeque fuisse Calphurnii[4]) discipulum nullo negotio contenderim, praesertim cum Calphurnius se iam in epistula Taruisinae editioni Perotti grammaticae anni 1475 addita Brixiensem appellet[5]).

[1]) Quirinus, de Brix. lit. I p. 107. Scripta est haec praefatio anno 1495. [2]) Ib. t. I p. 106. Cf. t. II p. 14 sqq.; 81 sqq.

[3]) Cf. Zeno Apostolus, diss. Voss. t. II p. 410.

[4]) Ib. t. II p. 411.

[5]) Agostini, scritt. venez. t. I p. 554 refert Calphurnium anno 1486 Venetiis participem fuisse societatis hominum doctorum, qui apud Bonaccursium, Casimiri Poloniae regis legatum, conueniebant. Quod si recte tradit Agostinus, certe Calphurnii commoratio Venetiana breuis et ad tempus fuit. Nimirum eundem Calphurnium fuisse ab anno 1478—1486 Patauii graecae et latinae linguae, ab anno 1486—1502 rhetoricae artis professorem eadem in urbe satis constare uidimus.

PARS POSTERIOR.

DE CALPHVRNII IN TERENTII HEAVTONTIMORVMENON COMMENTARIO.

Editionem principem commentarii Calphurniani Venetiis anno 1476 uulgatam esse cum omnes consentiunt[1]) tum ex Calphurnii epistolio huic editioni adfixo apparet, quippe in quo mentio fiat librorum anno 1475 editorum[2]); praeterea habemus testimonium Regii, qui anno 1488 in disputatione duodecim agi annos, ex quo tempore Calphurnius in Heautontimorumenon expositiones publicauerit, pronuntiat[3]). Inde ab illo tempore in permultis editionibus Terentii una cum Donato traditur Calphurnii interpretatio.

Ratione critica de Calphurnii expositione iudicaturis proficiscendum est a Westerhouii editione[4]), cum nostro tempore haec maxima auctoritate utatur. Qui qua fide Calphurnii uerba tradiderit, uidebimus.

Quod, inquit Westerhouius[5]), *et in Ms. Boend.*[6]) *et Editis quibusdam uetustissimis haud pauca offenderem addita illis, quae Calphurnii feruntur in Editionibus uulgatis, ita quaeque suis locis addidi, ut qualiacunque haec sint, asteriscis notata facile a reliquis discerni queant.*

Rationem uero, cur ea addiderit, quibus totum opusculum tertia fere parte atque amplius augetur, non affert. At quo iure haec noua in Calphurnium transtulit? An Boendermakeri codicem uetustissimasque illas editiones integriorem praebere fidem iis libris, quos uulgatos appellat, cognouit?

---

1) Omnia per se dilabuntur, quae Westerhouius in catalogo editionum aliique exhibent de antiquioribus editionibus.

2) V. p. 42.

3) In libelli anni 1490 charta XIII. Apud Quirinum, de Brix. lit. t. I p. 99; cf. p. 46.

4) Hagae-Comitum anno 1726 impressa.

5) In praef. X.

6) Theodori Boendermakeri canonici apud Vltraiectinos.

Immo eo licentiae progressus est Westerhouius, ut textum restitueret, qui ne cum una quidem editione ex tot antea uulgatis congrueret. Neque uetustissimis editionibus usus est, cum omnia ista additamenta partim ante annum 1496 uel 1499, partim ante annum 1504 nusquam in Calphurnii commentario inueniantur.

Constare hoc ex his editionibus in bibliothecis Regia Monacensi et Argentoratensi collatis intellexi: ex Taruisina anni 1477 (*iuxta fidele Calphurnianae castigationis exemplar*), ex Venetis annorum 1479: 1481: 1482: 1487: 1490: 1493: 1494: 1495: 1497: ex Argentina a. 1503. Atque etiam ex posterioribus libris typis expressis haud pauci manserunt integri.

Etsi pluribus argumentis careremus, tamen hoc uno, quod loci a Westerhouio additi in antiquissimis editionibus desunt, permoti non dubitaremus, quin interpolatione quadam in Calphurnii textum recepti essent. Sed inquisitione diligenter instituta, quae sint illae uetustissimae editiones, e quibus singula Westerhouius hausit, argumentis nihil dubii relinquentibus docebo. Id dolendum est, quod Westerhouius, quid ex codice illo, quid ex editionibus antiquis sumpserit, non aperit, cum unde manauerit Boendermakeri codex, inuestigare non potuerim.

Westerhouii textum repetiuit Zeunius[1] adiectis minimis quibusdam emendationibus *interdum loca aperte corrupta et facillima emendatu tacite* corrigens, *ductus uel editionibus antiquis, uel legibus linguae et contexti*[2]. Idem peius egit quod eos locos, quos Westerhouius asteriscis notauerat, omissis his notis sine ulla cunctatione Calphurnio tribuit.

Klotzius[3]) ad Heautontimorumenon non Calphurnii commentarium, sed excerpta Faerniana ex R. Bentlei editione adiecit neque omnino in editione sua Terentiana Calphurnii mentionem facit.

[1]) Ed. Terent. Lipsiae a. 1774.

[2]) In praef. XIII.

[3]) Ed. Terent. cum scholiis Aeli Donati et Eugraphi commentariis, Lipsiae 1838.

Vt totius disquisitionis de additamentis Westerhouianis summam praemittam: tribus ex partibus constant, quarum prima ex Guidone Iuuenale Cenomano, secunda ex codicis Bembini scholiis, tertia ex auctore incerto deprompta est.

Prima interpolationis pars.

Praeter Donati commentarios exstat in omnes Terentii fabulas Guidonis Iuuenalis [1]) natione Cenomani familiaris explanatio, quae, si Westerhouii catalogo editionum Terentianarum fides habenda est, primum anno 1492 Parisiis opera Georgii Wolffii impressa et postea saepenumero ab aliis impressoribus repetita est. Guidonem exscripsisse Donatum et Calphurnium, quos sescentiens auctores nominat, ita tamen, ut addendo planiusque singula explicando non pauca ex sua ipsius sententia adiceret, quisquis Guidonis interpretationem perlegerit, mecum consentiet. Guido ipse in epistula ad Nicholaum de Capella data, quae legitur in editione Terentii *una cum commento familiarissimo domini Guidonis Iuuenalis* (sine anno et loco), non ignotum sibi esse maiorem facillimae suae interpretationis partem aliquantum eruditis esse cognitam confessus sic pergit: *Propterea non pro doctis eos labores suscepimus, sed pro iis dumtaxat, quibus non est concessum aut penuria praeceptorum aut inopia rei familiaris, ut eo eruditionis aspirarent, quo non foret illis nostra opera opus. Eapropter ab his commentariolis legendis abstineant, qui suae doctrinae fiducia freti interpretis lumine non indigent.*

Auctor igitur cum ipse opus suum non ita magni faciat, superuacaneum est plura de hoc disputare. Haec Guidonis interpretatio exstat in editione Argentina anno 1496 per Ioannem Grueningerum impressa atque collecta ex diuersis commentariis (Donati, Guidonis, Ascensii); quae repetita est per

---

[1] A. Franklin, dictionnaire des noms, surnoms et pseudonymes latins (1875) de Guidone habet haec: *Iuuenalis (Guido), Gui Jouenneaux, grammairien et théologien français, professeur à Paris, moine à l'abbaye de Chesal-Benoît, abbé de Saint-Sulpice de Bourges, né dans le Maine, mort en 1507.* Cf. Quirinus, de Brix. lit. l. I p. 51.

Ioannem Curtum ex Eberspach redacta apud eundem Grueningerum anno 1499 cum Donati commentariis in quinque comoedias et cum Calphurnii explicatione in Heautontimorumenon ita consutis, ut non singuli commentarii seiunctim legerentur, sed promiscue, ne plus semel ea dicerentur, quae a Donato et Calphurnio Guido mutuatus est, accederentque noua, quae ex Guidonis lucubratione selecta sunt.

Cum in his duabus editionibus Argentoratensibus nusquam Calphurnii mentio fiat, sequitur etiam commentarium in Heautontimorumenon Donato tributum esse. Nec secus in margine editionis Venetae anno 1494 per Simonem Papiensem, dictum Beuilaqua, impensis Lazari de Soardis curatae, quae integram continet Calphurnii interpretationem, commentarius in Heautontimorumenon Donati appellatione constanter notatus est[1], quamquam in inscriptione et sub calcem libri esse eum Calphurnii recte legitur. Itaque Westerhouius ex duabus editionibus Argentinis, quas modo commemorauimus, Calphurnii commentarium cum Guidonis adnotationibus consutum perpaucis omissis in textum recepit. Cuius rei augetur fides, cum haec Guidonis additamenta nusquam alibi cum Calphurnio commixta inueniantur, sed ubique in ipsa Guidonis explanatione legantur. Et re uera se usum esse editione Ar-

[1]) Lectoris animum ad Lazari de Soardis officinam etiam hoc loco mercem non sine fuco gestantem aduertere uelim.

Intellegas etiam, quantum sumptum ponat Lazarus de Soardis in explicandis commentatorum nominibus et notis, quibus designantur, ex octasticho hoc, quod exstat in editione anno 1504 uulgata:

Quinque notis quorum sint commentaria, Lector,
Accipe: Donatum Sol sibi primus habet.
Guidonem porrecta Manus demonstrat et ipsum,
Candida Calphurnium dat tibi Luna tuum.
Et post hoc Ascensius adest, quem digna uideri
Crux tibi demonstrat, qua sine nullus eris.
Adde Sagittiferum, qui Seruius esse tenetur,
Huius ob ingenium, quae latuere, patent.

(Quirinus idem octastichon ex Veneta editione anno 1515 per Lazarum de Soardis impressa desumpsit: de Brix. lit. t. I p. 51).

gentina anni 1199 in obseruationibus plus semel adnotat Westerhouius[1]. Huc accedit, quod ea, quae I 1, 48 et II 2, 11 Westerhouius asterisco notauit, in sola Argentina leguntur; frustra enim haec quaeras in reliquis editionibus in Guidonis interpretatione.

En habes conspectum locorum e Calphurnio eiciendorum atque Guidoni tribuendorum:

Prol. 1^{c}. 13^{a}. 35^{a}.

I 1, 28 (ponitur — facere). 36. 37^{b}. 40^{b}. 45^{b}. 50. 57. 58^{a}. 59^{a}. 59^{b}. 60^{b}. 62^{a}. 62^{b}. 72^{a}. 72^{d}. 86. 87^{a}. 87^{b}. 88. 89 (cum — corradet). 93 (talentum — unciis). 98. 103 (inde — pendere). 111^{b}. 115.

I 2, 8^{a}. 8^{b} (quid ais — credens). 10. 13^{a}. 15. 16. 23. 24. 25^{c}. 25^{d}. 26^{a}. 26^{c}. 28^{a}. 30^{b}. 32^{b}. 32^{c}. 36.

II 1, 2. 6^{b}. 8 (ubi adbibit — Donatus). 10^{b}. 15^{a} (ut Pompeius inquit: et itaque procax, id est petax, dispoliatrix[2]). 15^{b}. 15^{c}. 15^{d}.

II 2, 4^{b}.

II 3, 1^{a} (serui — conferebaut). 1^{b} (quid — colloquio). 1^{c}. 3^{b}. 4 (serui — incepto; scilicet — ouium). 16^{a}. 21. 33^{c}. 39 (exemplum — inceptum). 41^{a}. 47 (honestae — cupiunt). 48^{b}. 50. 52. 58. 60 (ut dicit — disponit). 61 (nam — frustraberis). 71^{a}. 77^{c}. 101. 102^{b}. 103^{b}. 106^{a}. 108^{b}. 108^{c}. 113^{b}. 115^{c}. 116. 130. 131^{e}. 132^{a}. 132^{b}.

II 4, 6. 8 (ubi — bono). 13. 14. 18.

III 1, 30^{b}. 42^{b}. 45 (est — minor). 51^{b}. 51^{c} (inde — limum). 76^{b}. 84. 96.

III 2, 1^{b}. 14. 20 (id — mali). 28 (nam — fallunt). 31. 45^{b}.

III 3, 7^{b}. 19^{c}. 28 (eradicent — tollant). 40^{a}. 40^{b}. 49. 50^{a}. 50^{b}. 50^{e}.

IV 1, 7^{b}. 15^{b} (discimus — tibi). 17^{c} (hic — deberet). 22^{b}. 25. 26 (prodere — decepta). 32^{a}. 34. 41. 50^{a}.

---

1) V. p. 460; 463; 465; alibi.

2) Cum in editione Taruisina anni 1477 desint uerba *ut Pompeius inquit,* Westerhouius asterisco uti debebat. Guido igitur cum Calphurnium exscriberet aperuit eius fontem, id quod saepius alibi quoque fecit.

IV 2, 2^a. 2^b (alii — fuit). 7^b. 8 (inuestigare — laetitiam). 9^b. 10^b.

IV 3, 12^b (tanquam — impedimentum). 13^c. 15^a. 15^b. 27^a. 31^b. 34. 41 (et — redeo).

IV 4, 21 (et — ancillis).

IV 6, 18 (quia — suspecta).

IV 8, 23.

V 1, 1^a (et — Cliniae). 10^a. 10^b (et — aduentu). 26 (et — sequitur). 27^c (ita — sequitur). 29 (et est neutrum — miraculis). 31. 33^b. 34^b. 39. 46 (H. e. — tale). 54. 57 (multi — sumptus). 62^a. 62^b (q. d. — consulturum). 72. 77^b. 77^c.

V 2, 5^a. 9^c. 11. 12. 15^a. 30. 31^a. 31^b. 35. 40^b. 41. 44^b. 45. 46^a. 46^b.

V 3, 1^b (et — indignatione). 4 (sensus — repugnare). 12^a (mulieres — edunt). 13^a. 18 (dicimus — laboramus).

V 4, 3. 6^b. 6^c. 10^a. 10^c[1]. 10^d. 10^e. 10^f (insatiabilis — immoderate). 11^c.

V 5, 1^b. 3^a. 4^a. 8. 12^a. 12^c. 18^c.

Secunda interpolationis pars

constat ex adnotationibus ex margine libri Bembini deriuatis, quae maximam partem speciem scholiorum Donatianorum prae se ferunt. Haec scholia Bembina cum primus edidisset Vmpfenbachius[2], codice denuo accuratius lecto emendauit et suppleuit Studemundus[3].

Ex tempore renatarum litterarum quod dicitur tria adhuc innotuerunt scholiorum Bembinorum excerpta: unum ab Angelo Politiano anno 1493 confectum hodie adseruatur Florentiae in

---

[1] Corruptissime Westerhouius tradit 10c; in Taruisina editione anni 1477 leguntur haec: *Gerro: hinc congerro, quod a gerra dicitur, nam gerrae nugae sunt; alii dicunt a corrigendo deduci. Plautus in Persa* ⟨I 3, 9⟩: *Iam pol ille hic aderit, credo, congerro meus.* Inepte Westerhouius in horum locum substituit Guidonis interpretationem similem ex Nonio, Festo, Seruio exscriptam.

[2] In Herma Berolinensi t. II p. 337—402.

[3] In annal. philol. t. 97 p. 546—571 et nuper ibid. t. 125 p. 51—63.

bibliotheca Magliabecchiana (F apud Studemundum), secundum ex tempore Angeli Politiani nunc est Mediolani in bibliotheca Ambrosiana (M apud Studemundum), tertium manu Petri Victorii scriptum in Donati editione Mediolanensi anni 1476 hodie exstat in bibliotheca Regia Monacensi (S apud Vmpfenbachium).

Constat scholia Bembina, quae in Calphurnium irrepserunt, a libro M originem non ducere, siquidem in hoc I 1, 15ª; 62; II 4, 23; III 1, 7 omnino non inueniuntur, et in compluribus locis uaria est lectio. Veluti ad II 4, 22 M locum Ciceronis sic exhibet: *quam primum adueniens dedisti*[1], apud Calphurnii interpolatorem legitur: *dedit*; item ad I 2, 8 M habet[2]) *laetantis*, ubi apud illum scribitur *admirantis*.

Neque magis ductae sunt hae interpolationes ex P. Victorii excerptis[3], cum in his desint: I 1, 15ᵇ alibi — nouum); 28; 33; 62; II 2, 2ª; II 4, 23; III 1, 7; 99 (89); III 2, 26; 38. Etiam hic discrepat lectio in paruulis rebus ab ea, quae immixta est Calphurnianis. Ergo uidendum erit, utrum hausta sint haec scholia ex codice F, qui nondum plene excussus est, an ex alia quadam collectione, cuius notitia ad nos non peruenerit. Ac ne ea quidem opinio improbabilis est interpolatorem ipsum Bembi codicem inspexisse ad amplificandam Calphurnii interpretationem (Donati enim commentarii non interpolati sunt scholiis Bembinis).

Primum deprehendi scholia Bembina Calphurnio adspersa anno 1501[4] id est anno post Calphurnii mortem proximo, cuius commentarium nemo antea corrumpere ausus est, in editione Veneta per Lazarum de Soardis impressa, qui in editione anni 1508 lectorem monet, ut caueat ab impressionibus

1) Cicero, or. de domo sua 2, 4: *quam primam adueniens prodidisti?* cf. Studemund, in annal. philol. t. 125 p. 62.

2) Studemundus collationem libri M a se confectam mihi libenter permisit.

3) Ed. Schopen, Progr. Gymn. Bonn. 1832.

4) Cf. Studemund, in annal. philol. t. 125 p. 60.

aliorum curatis impensa[1]. Sane quidem ea de causa praemisisse uidetur illud quaestuosum monitum, quod libri per Lazarum impressi Calphurnianam interpretationem explicationibus adauctam contineant, quae in aliorum libris plane desint.

Iterum impressa est ab eodem Lazaro haec Veneta anno 1508, tertium anno 1511; denuo repetita esse uidetur Venetiis iussu et impensis Georgii de Rusconibus annis 1515 et 1518. Etenim hae editiones eandem habent subscriptionem, quam legi in Veneta anni 1511: *Habes, perspicacissime lector, Terentii codicem, unacum quinque commentariolis Donati, Guidonis, Ascensii, Calphurnii, et Seruii, sicuti nonnulli inquiunt, summis cum lucubrationibus castigatissimum. Noctesque insomnes conferendo, legendo, corrigendoue, steriliaque resecando fructiferisque* (sic) *addendo* (*si uideri utile est*) cetera.

Neque profecto dilucidius rationem criticam huius interpolatoris describere possumus quam uerbis ipsius subscriptionis. Addidisse igitur se gloriatur fructifera steriliaque resecuisse, quasi liceat emendare eiusmodi librum ex uoluntate atque libidine omnibus, quae tradita sunt, neglectis. Calphurnium anno 1476 de codicis Bembini scholiis nihil compertum habuisse apparet ex praefatione, in qua neminem adhuc interpretationem in Heautontimorumenon ausum esse scribere narrat[2]. Neque postea ipsum aliunde cognita scholia Bembina commentario suo inseruisse ueri simile est, cum praesertim etiam ex eis, quae post annum 1504 curatae sunt, editionibus multae cum prioribus congruant.

Scholiorum Bembinorum, quae maxime digna sunt Donato, partem Calphurnianis immiscuit interpolator locis his:

Prol. 3. 8. 10. 13ᵇ. 45 (gregem — turbam)[3].

I 1, 12[3]. 15[3]. 28 (usus — utile)[3]. 33 (reticemus — secreta)[3]. 59ᶜ. 62ᶜ. 71. 72ᵇ. 116.

I 2, 8ᵇ (non — admirantis). 18 (locus ex Vergilio).

II 1, 15 (procax — flantibus).

---

[1]) V. supra p. 24. [2]) V. infra p. 44.

[3]) Westerhouius omisit asteriscum.

II 2, 2^c^.

II 3, 49^a^. 53 (ita — spinis). 56 (uel habitu — illuuie). 77^b^. 120^b^. 128.

II 4, 11^a^. 17^a^. 22^c^ (duras — dedit). 23^a^.

III 1, 6^a^. 7^a^. 35 (et muliercula — paupercula). 41. 48 (pytissando, id est — probat)[1]. 89^b^ (100)[2]. 102 (99)[2].

III 2, 8 (6)[2]. 26^b^. 38[3].

Tertia interpolationis pars.

Eaedem istae editiones, quae scholia Bembina adspersa continent, Calphurnii expositionem etiam tertia quadam parte adauxerunt. Cuius recensionis auctor cum ne in subscriptione quidem illa nominatus sit, incertae originis esse hanc additamentorum partem supra dixi. Sed nihil refert, qui magistellus minutias istas fabricatus sit, quae ad amplificandam emendandamue Calphurnii interpretationem ex libidine adscriptae sunt. Ceterum facere non possum, quin uno exemplo, qua uia ac ratione 'fructifera addiderit, resecuerit sterilia' editor, ostendam. Ad III 2, 10 enim ea omisit interpolator, quae Calphurnius de aquilae senectute ex Plinii naturali historia adnotauerat, atque ex sua sententia substituit alterum Plinii locum de ebrio et quae scripsit *diuus Hieronymus*[1]) de aquila. Ceteroqui operam suam cohibuit fere intra id officium, ut occasione data testimonia scriptorum ueterum tum maxime tractatorum adiungeret, ubi utile esse uideretur. Ex Guidonis explanatione, quam seiunctim tradit, nihil in Calphurnium transscripsit.

Loci suppositi sunt hi:

Prol. 1^b^. 23^b^. 45 (locus ex Plauto)[1].

I 1, 1^a^ (simul exprimitur — prolixa)[1]. 18[1]. 33 (loci ex Verg. et Eun.)[1].

II 2, 2^a^.

---

1) Westerhouius omisit asteriscum.
2) Numeros Vmpfenbachii cancellis inclusi.
3) Vltra hunc locum scholia Bembina non exstant.
4) V. infra p. 65.

II 3, 1^b^ (περιγραφή — praecessisse). 18. 49 (ideo — expansis). 65 (locus ex Apul.). 131^d^ (ceruices — appellant).

III 1, 23^b^ (locus Quint.).

III 2, 10 (Plinius de ebrio — redit). 24^a^.

III 3, 3^c^. 10. 16 (loc. Cic.). 28 (dum — Syrum). 30. 45. (loc. Cic.).

IV 1, 19^b^. 53.

IV 2, 6 (bolus — rei). 9^c^.

IV 3, 14^b^. 29 (alii — perdis). 31^a^. 38^b^ [1]).

IV 5, 13. 32^b^.

V 1, 1 (et est operae — admonitione).

V 2, 5^b^. 22.

V 3, 4 (pergin mulier — senilis). 15 (in — ceciderunt).

V 5, 7. 9. 12^b^. 14. 17 (de rufo — facit). 18^a^. 18^b^. 18^d^. 19^b^.

Resectis igitur his tribus interpolationis partibus integrum Calphurnii commentarium ita perlustrabo, ut indignum esse, qui denuo edatur, demonstrem.

Sed priusquam ad singula ueniamus, hoc loco epistula editioni principi praefixa, quam praefationis loco Calphurnius ad Marcum Aurelium scripsit, quoniam nondum alibi repetita est, ex editione Taruisina anni 1477 nuper a me in bibliotheca Regia Monacensi collata in lucem emittatur:

Calphurnius Brixiensis Marco Aurelio [2]) *uiro praeclarissimo salutem.*

Constat antiquos scriptores Marce Aureli qui disciplinarum omnium, multa et uaria cognitione praediti erant, ani-

[1]) Westerhouius omisit asteriscum.

[2]) Ad calcem Venetae editionis commentariorum Domitii Calderini in Iuuenalem anni 1474 legitur epistula Calderini ad Iulianum Medicen, in qua de Marco Aurelio scribit haec de commentariis ipsius emittendis: *Eo autem celerius emittuntur, quod Marcus Aurelius Senatus Veneti Scriba, uir doctissimus eloquentissimusque, mecum iam pridem per literas*

mum magis pro uirili intendisse, ad edendum sua, quam ad interpretandum aliorum scripta, quod in altero plus laudis, in altero uero pene plus laboris, et minus fauoris assequerentur. Fuere tamen nonnulli, qui uiam quandam perutilem, et compendiosam tenentes ea, quae abstrusa tantum uidebantur, commode, et breuiter explicuerunt. Qua in Varro togatorum omnium eruditissimus, ut in omnibus praecipuam meruit laudem, qui omnis antiquitatis, et latinae linguae indagator acutissimus nonnulla, quae apud poëtas paucis intellecta credidit, summa cum diligentia inuestigauit. Cuius operis pars, utinam ad nos non sic imminuta, et ad nil ferme redacta peruenisset! Hunc secuti alii, sed permutato ordine, utpote qui totum opus interpretandum suscaeperunt, inter quos Aelius Donatus grammaticorum peritissimus principatum mihi obtinuisse uidetur. De quo ut paucis absoluam, si meum requiras, ut consueuisti, iudicium: hic est solus, qui nobis uiam, qua Terentii Comici sensus omnis, Plautinam dicendi consuetudinem, caeterorumque comicorum si extarent perciperemus, non tam accurate, quam discrete aperuit. In eo est summa dicendi breuitas, cuiuslibet partis, quae ad artem spectat, summa examinatio. Adde quod in ui et significatione uocabulorum exponenda tantus insurgit, ut huius enarratione nihil expressius sit, aut significantius. Ea enim tantummodo attingit, quae ad operis interpretandi expositionem faciunt. In eo nihil est superfluum, nihil uerbosum.

Qua in re aetatis nostrae homines non possum non uehementer admirari, qui inclusi scribentes, nihil aliud edere festinant, quam commentatiunculas quasdam, in quibus quae abstrusa sunt et interpretatione non parua indigerent, sicco ut fertur pede praetereunt; in rebus uero leuioribus ac faciloribus hunc et illum auctorem in testimonium adducentes, multa scisse, multaque lectitasse uideri uolunt. Est qui ineptiolas

---

egit, ut tandem aliquando hos ederem, quos uehementer legere cuperet. Est enim his studiis eruditissimus, et cum fides, morum grauitas aliaque ornamenta quotidie in eo spectentur, doctrina maxime eminet. Cf. Quirinus, de Brix. lit. t. I p. 152.

quasdam in epistolam Sapphus edidisse gloriatur[1], *alter in Priapeia Maronis, aut in Tibullum*[2]. *De his nihil loquor, qui tantum pauca admodum obscura colligunt. Illud sane minime ferendum, quod noui quidam impressores nuper incoeperunt, qui ut uoluminibus suis gratiam et auctoritatem acquirant, et eo pluris uendant, falso praeclarissimorum uirorum nomina quibusdam insulsissimis nugis inscribunt. Vt is, qui in Lucanum uerbosissimas expositiones et eiciendas impressit, quas sub nomine Omniboni*[3], *uiri integerrimi atque eruditissimi, praeceptorisque mei amantissimi, non tam temere, quam sacrilege edidit. Manes certe Omniboni me orant, obsecrant, ut illum a tanta contumelia uindicem. Nonne ego Omnibonum intus et in cute noui? Nunquam has ineptias effudit, immo tanti uiri animus a nulla re magis alienus erat, quam ab huiuscemodi commentatiunculis. Paulo ante illius interitum*[4]

---

1) Georgium Merulam Alexandrinum dicit, cuius commentariolos in epistulam Sapphus commemorat Eusebius Scutarius Vercellensis, eius discipulus, ubi magistri scripta enumerat, in epistula Venetae editioni Plauti anni 1495 adfixa. Cf. Quirinus, de Brix. lit. t. I p. 12. Fabricius, bibl. lat. (ed. Ernesti) t. I p. 442. Editionem principem non Venetiis anno 1481, sed iam ante annum 1476 impressam esse hoc loco docemur.

2) Bernardinum Veronensem uulgo Cyllenium dicit, cuius commentarius in Tibullum Romae anno 1475 uel 1476 in lucem prodiit; in hoc ad lib. I eleg. I uers. 27 se iamdudum Priapeiam meditationem editurum fuisse, nisi amicorum rigiditate prohibitus esset, scripsit. Cf. I. E. Wernicke, Priapeia siue diuersorum poëtarum ueterum in Priapum lusus. I (Thoruni 1853), p. 15; Quirinus, de Brix. lit. t. I p 76 sq.; Fabricius, bibl. lat. (ed. Ernesti) t. II p. 375; 432; Fabricius, bibl. lat. med. et inf. aet. (ed. Mansi) t. I p. 202.

3) Omniboni commentarius in Lucanum editus est Venetiis anno 1475. Cf. Quirinus, de Brix. lit. t. I p. 114 sqq., ubi etiam Ioannes Taberius falso hunc commentarium tribui Omnibono dicit atque suspicatur quempiam ex discipulis in uolumen collegisse, quae Omnibonus dictauerit. Vide praeterea ib. p. 120; 123. Cf. Fabricius, bibl. lat. (ed. Ernesti) t. II p. 144; Voigt, *die Wiederbelebung des klassischen Alterthums* II p. 395.

4) Liceat paulo amplius exponere, quo anno mortuus sit Omnibonus Leonicenus, cum falsae de ea re opiniones circumferantur.

Vicentia discedens, Bononiam sum profectus; needum ad aliquid tale animum intenderat, uerum odio insectabatur. detestabatur mirum in modum huiuscemodi homines, qui auctores antiquos ineptis commentationibus coinquinarent.

Quis illam de Georgio Trapezuntio[1] *falsam ferat inscriptionem? Quis commentariolos in Ciceronis Antonianas editos ab hoc praestantissimo rhetore putet? Non possum nisi risu soluto opusculum illud de magistratibus inspicere, quod Lutio Fenestellae*[2], *quoniam et is de magistratibus scripsit, sed non exstat, asscribitur.*

Fabricius, bibl. lat. med. et inf. aet. (ed. Mansi) t. V p. 157 Antonii Orlandi testimonio usus (orig. typ. p. 356) Omnibonum anno 1524 mortuum esse tradit. Idem in Ecksteini nomenclatore philologico legitur. Tiraboschius (stor. d. lett. it. uol. IX t. VI l. 3 p. 1584) eum decessisse anno 1493 contendit. Sed iam recens editor Fabricii bibliothecae in adnotatione uix se credere addit uitam producere potuisse Omnibonum usque ad annum 1524, quippe qui tunc uitam iusto longius prorogasset. Hoc loco Calphurnius (anno 1476) loquitur de mortuo Omnibono, qui uiuebat, quo tempore Calphurnius Vicentiam urbem reliquit. Ergo Vicentiae obiit Omnibonus intra id temporis spatium, per quod Calphurnius Bononiae paedagogus uersabatur, hoc est paullo ante annum 1476 (u. supra p. 11), quo anno iam Venetiis docuisse Calphurnium uidimus.

Cum uero tradant fuisse Omnibonum auditorem Emanuelis Chrysolorae, quem in concilio Constantiensi anno 1415 mortuum esse scimus (cf. Fabricius, bibl. lat. med. et inf. aet. t. V p. 157; t. III p. 112), iam ante annum 1400 illum natum esse elucet. Itaque equidem non dubito, quin Antonius Orlandus perturbatione quadam animi cogitauerit de Nicolao Leoniceno, Omniboni propinquo atque discipulo, quem anno 1428 natum nonagenario maiorem defunctum esse anno 1524 constat. Cf. Fabricius, bibl. lat. med. et inf. aet. t. IV p. 550. Alde Manuce et l'hellénisme à Venise par Ambroise Firmin-Didot (Parisiis 1875) XXXII.

1) Commentarii in Philippicas Ciceronis Georgio Trapezuntio tributi inueniuntur in uetustissima editione Veneta Ciceronianarum orationum cum commentariis per Nicolaum Ienson ium anno 1472 impressa. Cf. Ersch et Gruber, *Encyclopaedie* I 60 p. 225; Voigt, *die Wiederbelebung des klassischen Alterthums* II p. 395.

2) Andreas Dominicus Floccus scripsit de Romanis potestatibus, sacerdotiis et magistratibus libros duos, qui multis in editionibus L. Fenestellae

Piget plura de his referre. sed hos cum sua ignorantia relinquamus, sequamur potius Donatum celeberrimum expositorem. In quo etsi non parua iactura facta est, quod multa sint loca manca adeo et corrupta, ut ad integrum redigi non possint, maiori tamen ex parte sui ad nos peruenit, et in multis nostro fortasse labore factus integer, et emendatior multis studiosis magis quam antea proderit.

Insuper annotatiunculas quasdam perbreues in Heautontimorumenon te potissimum, quem plurimi facio, adhortante adiunxi, quas me ex tempore dictante Antonius Moretus Brixiensis[1] *adolescens eruditissimus exscripsit. Qui ut sane de litteris latinis bene meritus est, hae ut unacum Donato diligenter imprimerentur, curauit. Nullius autem iudicium secutus sum, quippe cum nemo adhuc id, quod ego ausus fuerit. Nec id possum dicere, quod Donatus: 'ego Adhaesionem (sic!) sequor, qui recte intellexerit Terentium'*[2]. *Non ignoro tamen indoctos quosdam paedagogos non meum probaturos opusculum, quod eorum natura sit insolens atque, ut Fabius ait, 'peritis cedere dedignantur'*[3]. *Sed sat erit Marce si id a te com-*

---

nomine inditi sunt. Cf. Fabricius, bibl. lat. med. et inf. aet. t. II p. 576. Voigtius (*die Wiederbelebung des klassischen Alterthums* t. II p. 39) non Flocci culpa factum esse, ut liber eius de magistratibus a posterioribus editoribus Fenestellae sit tributus, demonstrat, itaque immerito usque ad nostrum tempus Floccum quasi falsarium castigari.

[1]) Accuratius Quirinus in duobus, quae de Brixiana litteratura edidit, uoluminibus disserit de Moreto et uariorum doctorum hominum [Calphurnii (cf. t. I p. 54. 148. t. II p. 59 sq.), Becichemi (cf. t. I p. 55), Iani Parrhasii (cf. t. I p. 55), M. Antonii Sabellici (cf. t. I p. 54), Francisci Maturantii Perusini (cf. t. I p. 140)] testimoniis usus docet Moretum correctoris munus exercentem doctis illius aetatis uiris notissimum fuisse ob curam ab eo impendi solitam, ut libri optime atque emendatissime impressi in studiosorum manus peruenirent, simulque cum singularis eruditionis laude floruisse. Cf. ann. typ. p. 320.

[2]) Don. ad Eun. IV 4, 22.

[3]) Quint. inst. or. I 1, 8. Nota Calphurnium eundem Quintiliani locum (aduersus paedagogos recitare, quem Regium in Calphurnium. V. supra p. 17.

probari sensero; te enim tanti et merito facio, quanti Varronem illum prisca aetas. Nam praeter summam quae in te est doctrinam, quis illud conticescat, quantus in re Publica Veneta uir sis et habearis, et quo gradu ac potius cursu ad summa quaeque ascendas. Quicquid igitur id est, a Calphurnio tuo pro munusculo accipe, donec te maioribus muneribus, ut par est, onerem. Vale decus litterarum!

En Calphurnium acriter de aliorum nugis iudicantem et narrantem se, cum editionem Donati emendatiorem curaret, Marco Aurelio, erudito studiorum fautore, adhortante in Heautontimorumenon quoque interpretationem more Donatiano excusam dictasse atque una cum Donato imprimendam tradidisse Antonio Moreto Brixiensi correctori.

Non minimi factam esse hanc Calphurnii expositionem eo tempore, quo primum edita est, testes sunt permulti illi editores, qui eam una cum Donato impresserunt. Longius progressus Westerhouius suspicionem mouet, quasi ad Heautontimorumenon quoque Donati commentarium possederit Calphurnius et mala fraude suppressum pro suo obtruserit orbi erudito: multa enim inesse in eo Donatiana[1]. At iam Quirinus opus non esse Calphurnium, notissima qua sit doctrina, a plagii crimine uindicare putat, itaque *ualeat*, inquit, *Hagensis editionis curator cum suspicione illa*[2]. Nobis non est, quod Calphurnio fidem derogemus in praefatione neminem interpretationem in Heautontimorumenon scripsisse affirmanti[3]. Omnis autem eximitur scrupulus, si quomodo compositus sit Calphurnii commentarius, uiderimus.

Cuius interpretatio quanta auctoritate inter omnes homines doctos usa sit, ex eo quoque intellegitur, quod ne Raphael Regius quidem calumniator quicquam habuit, quod doctrinae, quae in ea inest, obiceret; coarguit potius Calphurnium Omniboni et Guarini magistrorum enarrationes in Heautontimorumenon exceptas collectasque in opusculum re-

1) In praef. ed. Ter. IX sq.
2) De Brix. lit. t. I p. 52.
3) V. supra p. 44.

degisse sibique impudentissime adscripsisse. Quoniam uero plurimum refert aequalis atque inimici audire iudicium, integrum locum repetam ex disputatione [1]: *Num opera fortasse quae scripsit, ei tollunt animos? At nihil unquam a se compositum, praeter carmina quaedam, nullis musis, nulloque Apolline scripta emisit. Nam quae in Terentii heautontimorumenon sub istius nomine leguntur expositiones, eas Guerrino Veronensi, Omnibonoque Vicentino profitentibus, a discipulis collectas istum confudisse, ac sibi impudentissime uindicasse, ne dubitandum quidem est; certissimumque huius rei illud est argumentum, quod ex eo tempore, quo sibi eas arrogauit, duodecim autem, et amplius anni aguntur, nihil aliud unquam emisit.* Eadem eisdem fere uerbis repetit Regius in dialogo [2].

Qui quamquam acerbius quam iustius iudicasse uidetur, tamen a uerisimilitudine non abhorret originem ducere partem commentarii in Heautontimorumenon ab enarrationibus illorum magistrorum in schola traditis atque Calphurnium in certam quandam praecipiendi formulam eorum explicationes composuisse neque pauca de suo addidisse. Eandem enim sortem Omniboni quoque dictatis in Lucanum obtigisse ex Ioannis Taberii sententia supra [3] diximus.

Iam Westerhouius in obseruationibus nonnullos locos Calphurniani commentarii ex Donato exscriptos esse adnotat, sed rem non plane perspexit. Multo enim plures locos ex Donati commentariis in quinque fabulas Terentianas petitos esse demonstrabimus. Quod si intellexisset Westerhouius, qui simul cauere uoluit, *ne Latinissima Terentii pars reliquis magis nuda prodiret publice* [4], haud scio an Calphurnium non dignum existimaturus fuerit, qui iunctim cum Donato ederetur. Videamus igitur, quomodo Calphurnius Donati expilauerit scrinia.

[1] In libelli anni 1490 charta XIII; apud Quirinum, de Brix. lit. t. I p. 99.

[2] In libelli anni 1490 charta XXXIV.

[3] V. p. 42 not. 3. Ad totam rem cf. Voigt, *die Wiederbelebung des klassischen Alterthums* t. II p. 394 sqq.

[4] In ed. Ter. praef. IX.

Ac primum quidem ipsa Calphurnii in Heautontimorumenon prolegomena, quae Quirinus[1]) nescio qua de causa repetit, ex Donati praefationibus in Adelphos atque deinceps in Phormionem ita consuta sunt, ut quae Donatus uel in Heautontimorumenon uel in ipsas illas comoedias adnotauerat, partim ad uerbum transferrentur, partim eo modo mutarentur, quo adaptanda erant fabulae ab illis diuersae.

I. Explicationes ad uerbum ex Donato undecunque ita decerptae, ut fons indicatus non sit:

Donatus:	Calphurnius:
Ad Hec. prol. II 41: Si nunquam auare] Per haec uerba Terentius uult demonstrare, quam grauis auctor sit, qui suas comoedias probet. Sic Horatius ⟨ep. II 1, 81⟩ ea cum respondere coneris[2]), Quae grauis Aesopus, quae doctus Roscius egit.	Ad prol. 48: Si nunquam auare pretium statui] Per haec uerba Terentius demonstrat, quam grauis auctor sit, qui suas comoedias probet. Sic Horat. ⟨ep. II 1, 81⟩ Et cum respondere coneris[2]), Quae grauis Aesopus, quae doctus Roscius egit.
Ad Hec. prol. II 42: Et eum esse quaestum in animum induxi] Modo non nunquam subauditur, sed si, ut sit, Et si eum esse et cetera.	Ad prol. 49: Et eum esse quaestum] Nonnunquam[3]) subauditur, si, ut sit, Et si eum quaestum.
Ad Hec. prol. II 43: Quam maxime seruire nostris commodis] Plus dixit commodis, quam si diceret uoluptatibus[4]).	Ad prol. 50: Seruire uestris commodis] Plus dixit commodis, quam si diceret uoluptatibus[4]).

---

[1]) De Brix. lit. t. I p. 56.

[2]) In Horatii libris recte legitur *ea cum reprehendere coner.*

[3]) Calphurnius Donatum cum exscriberet, non intellexit.

[4]) De isdem tribus Terentii uersibus (Hec. prol. II 41—43 = Heaut. prol. 48—50), quorum explicationem Donatianam Calphurnius exscripsit. cf. Schindler, obs. crit. et hist. in Terent., Halis Saxonum 1881 p. 49.

Eiusdemmodi sunt loci hi [1]):

Praef. in Phorm. p. 1037 uers. 32—35.	=	Ad prol. 11^{a}.
Prol. in And. 6 et 7.	=	» » 22.
Ad And. I 2, 22.	=	» I 1, 48.
» » I 3, 14 (cf. I 5, 3).	=	» I 1, 95.
» » I 5, 26.	=	» I 2, 3.
» Hec. II 2, 3. (cf. ad Ph. IV 5, 4).	=	» II 1, 4^{a}.
» Ad. I 1, 23.	=	» II 1, 14.
» » IV 4, 12.	=	» II 3, 70.
» Phorm. V 7, 55.	=	» II 3, 77^{d}.
» Hec. I 2, 48.	=	» II 3, 89.
» And. I 3, 13.	=	» II 3, 115^{a}.
» » III 2, 6.	=	» II 4, 1^{b}.
» » I 5, 16.	=	» II 4, 4 et IV 1, 2^{c}.
» » I 1, 49.	=	» II 4, 9^{b}.
» Hec. IV 1, 34.	=	» II 4, 11.
» And. IV 2, 2. (cf. ad Ph. II 1, 24).	=	» II 4, 26^{a}.
» » I 1, 105.	=	» III 1, 6^{b}.
» » I 1, 31.	=	» III 1, 11^{c}.
» Hec. IV 3, 6 (cf. ad Ph. II 3, 90).	=	» III 1, 23^{a}. ^{b}.
» Ad. IV 2, 39.	=	» III 1, 45 (et—falluntur).
» » III 2, 27.	=	» III 1, 47 (cf. III 3, 3^{a} et 23^{a}).
» And. II 6, 16 + III 1, 12.	=	» III 1, 62^{b}.
» Phorm. I 2, 91.	=	» III 1, 71 (cf. IV 8, 18).
» Enn. IV 2, 4 + Andr. II 6, 11 + And. I 1, 86 + Enn. IV 7, 43. (cf. Ad. V 3, 10).	=	» III 1, 76.

[1] Vtroque loco collato benignus lector facile inueniet, quae scholiorum pars sit significata. Difficillima enim est multis in locis accuratior significatio secundum editionem Westerhouianam, cuius textum, cum emendatiore careamus, secuti sumus.

Donatus:		Calphurnius:
Ad Eun. IV 6, 8.	=	Ad III 1, 83^b.
» And. IV 3, 18.	=	» III 2, 2^a.
» Phorm. I 2, 22.	=	» III 2, 5.
» Eun. V 9, 35.	=	» III 2, 10^b.
» Andr. III 2, 20.	=	» III 2, 26.
» Ad. IV 3, 18.	=	» III 2, 28.
» » IV 1, 17.	=	» III 2, 37.
» Eun. IV 7, 46.	=	» III 3, 19^a.
» » IV 7, 35.	=	» III 3, 45^b.
» And. I 1, 116.	=	» IV 1, 15^b (cf. IV 4, 25).
» Eun. I 1, 27. + Phorm. I 2, 9.	=	» IV 1, 19 (cf. IV 8, 33).
» And. II 2, 30.	=	» IV 2, 10^a.
» And. IV 3, 3. + Eun. I 2, 68.	=	» IV 3, 11^b.
» Phorm. V 7, 55.	=	» IV 3, 38.
» And. II 3, 27.	=	» IV 4, 1^d.
» And. III 5, 1 + Eun. IV 3, 3 (cf. Ad. III 3, 40).	=	» IV 4, 18^b.
» And. II 5, 11.	=	» IV 5, 27 (cf. IV 8, 31. V 4, 4).
» Eun. II 3, 14. + And. III 2, 30 (cf. Ad. I 1, 46).	=	» IV 5, 28^a.
» Ad. IV 2, 28 (cf. III 3, 57).	=	» IV 5, 28^b.
» Eun. V 4, 4.	=	» IV 5, 55.
» And. III 2, 9.	=	» IV 6, 2^a.
» Hec. III 4, 27.	=	» IV 6, 9^a.
» Ad. II 1, 47.	=	» IV 6, 11.
» Ad. V 3, 8. (cf. IV 7, 37).	=	» IV 6, 16^b (cf. V 2, 37).
» Eun. V 7, 20.	=	» IV 6, 18^b.
» Andr. I 1, 28 (cf. Hec. III 1, 4).	=	» IV 7, 2 (cf. V 1, 55^b).
» And. IV 3, 16.	=	» V 7, 10^a.
» Ad. V 3, 22.	=	» IV 8, 7^a.
» And. II 1, 21.	=	» IV 8, 13 (cf. V 1, 13).

Donatus:		Calphurnius:
Ad Eun. III 1, 22.	=	Ad IV 8, 17^{b}.
» And. V 4, 36.	=	» IV 8, 17^{a}.
» Ad. V 5, 7.	=	» IV 8, 28^{b}.
» Phorm. II 3, 30.	=	» V 1, 6^{a}.
» And. II 2, 11.	=	» V 1, 6^{b}.
» Eun. II 2, 28.	=	» V 1, 10.
» And. II 6, 26.	=	» V 1, 16^{b}.
» Phorm. I 4, 39 (cf. II 2, 8).	=	» V 1, 27^{a} (cf. V 1, 69).
» Eun. IV 2, 12.	=	» V 1, 27^{b}.
» Eun. II 3, 90.	=	» V 1, 56.
» Hec. III 4, 36.	=	» V 1, 57.
» Phorm. II 1, 18.	=	» V 1, 59^{a}.
» » II 3, 23.	=	» V 1, 59^{b}.
» Ad. V 8, 25 (et 24).	=	» V 1, 63.
» Eun. V 1, 4.	=	» V 1, 65.
» Phorm. II 3, 33.	=	» V 1, 74.
» Phorm. II 1, 1 (cf. Ad. IV 5, 51. Eun. V 9, 25).	=	» V 2, 1^{c}.
» And. III 4, 3.	=	» V 2, 8^{b}.
» Phorm. I 4, 31.	=	» V 2, 21.
» » II 3, 14.	=	» V 2, 23^{b}.
» And. I 5, 22.	=	» V 3, 3^{a}.
» Phorm. I 3, 2.	=	» V 3, 3^{b}.
» And. V 3, 4.	=	» V 3, 12^{b}.
» Ad. III 3, 5.	=	» V 4, 11^{a}.
» Phorm. V 7, 44.	=	» V 5, 1^{c}.
» Ad. III 4, 26.	=	» V 5, 4^{b}.

II. Interpretationes ipsae quoque ad uerbum ex Donato desumptae, sed ita, ut afferantur Terentii uersus, quorum explicationem Donatianam Calphurnius exscripsit.

Donatus:	Calphurnius:
Ad Eun. I 1, 34. Nostri fundi calamitas] Proprie calamitatem rustici grandinem di-	Ad II 4, 15. Incidere possit calamitas] In Eunucho ⟨I 1. 34⟩ Nostri fundi calamitas. Proprie calamitatem rustici

cunt, quod comminuat calamum, hoc est culmum ac segetem. | grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est culmum ac segetem.

Eiusdemmodi sunt loci hi:

Donatus:		Calphurnius:
Ad Hec. prol. II 1 et 2.	=	Ad prol. $11^{b.\,c}$.
» Phorm. I 3, 20 (cf. Eun. V 7, 12).	=	» I 1, 20.
» Hec. II 1, 15.	=	» I 1, 99.
» And. III 3, 26 (cf. Eun. I 1, 3.)	=	» II 3, 84^{b}.
» Eun. II 3, 62.	=	» II 4, 22^{c}.
» Ad. IV 4, 20.	=	» III 1, 27.
» And. I 1, 48.	=	» III 1, $38^{b.\,c}$.
» Eun. V 8, 1 (cf. Ad. II 2, 29. Phorm. I 4, 48). And. III 2, 24.	=	» III 3, 39 (cf. IV 1, 36. IV 6, 7).
» And. I 1, 36. + V 3, 26.	=	» IV 3, 3^{a}.
» » I 2, 15.	=	» IV 3, 16^{a}.
» » I 4, 3.	=	» IV 3, 36^{b}.[1]
» Eun. I 2, 112.	=	» IV 4, 8^{b}.
» » IV 4, 54 et 55.	=	» IV 4, 26.
» And. IV 4, 19.	=	» IV 4, 19.
» » III 3, 48.	=	» IV 5, 9^{a}.[1]
» » III 1, 21 cf. Ad. III 3, 50).	=	» IV 5, 9^{b}.
» Eun. IV 5, 8.	=	» IV 5, 10.[1])
» And. I 1, 75.	=	» IV 5, 31.
» Eun. III 5, 34.	=	» IV 7, 10^{b}.
» » II 2, 6 (cf. Hec. IV 4, 21. Eun. V 1, 17).	=	» IV 8, 7^{b} (cf. I 2, 37
» Eun. III 5, 35.	=	» V 1, 29.
» Ad. III 3, 54.	=	» V 2, 3.

[1]) Donatum citat Calphurnius.

Donatus:	Calphurnius:
Ad Eun. I 2, 122.	= Ad V 2, 8.
» Ad. V 3, 45.	= » V 2, 9ª (cf. IV 4, 8).
» Eun. I 1, 5.	= » V 2, 9ᵇ.
» Hec. V 1, 16.	= » V 2, 15.
» Phorm. II 3, 20.	= » V 2, 19.
» » I 2, 90.	= » V 2, 23ª.

III. Explanationes non plane ad uerbum ex Donato desumptae, sed ita, ut Donatum Calphurnio ob oculos uersatum esse facile perspicias.

Donatus:	Calphurnius:
Praef. in Hec. p. 863, 4: Haec fabula Apollodori esse dicitur Graeca, nam et ipsa et Phormio ab eodem dicuntur esse translatae, cum reliquae quatuor sint Menandri comici.	Ad prol. 4: Ex integra Graeca] Terentius Hecyram et Phormionem ab Apollodoro transtulit, reliquas quatuor a Menandro.

Eiusdemmodi sunt loci hi:

Ad Hec. prol. 1.	= Ad prol. 35 (Agi—placet).
» praef. in Hec. p. 863, 8. » » » Ad. p. 639, 10.	= » » 35 (Est—motoriis).
» Phorm. II 1, 52.	= » I 1, 14 (nunc—fungeris).
» Hec. I 2, 27.	= » I 1, 23ᵇ.
» Ad. II 2, 12. Eun. I 2, 39.	= » I 1, 60.
» Phorm. II 2, 19.	= » I 1, 89.
» Eun. V 7, 3.	= » II 3, 30ᵇ.
» And. I 1, 48 (cf. I 5, 39).	= » II 3, 37.
» Eun. IV 6, 23.	= » II 3, 72.
» » II 1, 18.	= » II 3, 74 (cf. IV 3, 16ᵇ).
» And. I 1, 52.	= » II 3, 85.
» Eun. I 2, 24.	= » II 3, 95.
» Ad. III 4, 24 et 25.	= » II 4, 9ª.
» » III 2, 54 (cf. V 8, 4).	= » II 4, 9ᶜ.

Donatus:		Calphurnius:
Ad Eun. III 2, 19 (cf. Phorm. II 3, 26. Ad. III 2, 12).	=	Ad II 4, 20^{b}.
» Eun. IV 5, 4.	=	» II 4, 22^{b}.
» Hec. V 3, 16. (cf. Eun. III 1, 15).	=	» III 1, 1^{b} (cf. V 1, 9).
» Eun. IV 3, 12.	=	» III 1, 22^{a}.
» Eun. II 1, 14.	=	» III 1, 37.
» Phorm. II 3, 23.	=	» III 1, 94^{c}.
» Eun. III 1, 37.	=	» III 2, 11.
» Hec. III 3, 40.	=	» IV 1, 2^{a}.
» And. I 5, 51 (cf. Ad. III 1, 2).	=	» IV 1, 9 (cf. II 4, 26).
» Hec. IV 1, 8.	=	» IV 1, 9^{b}.
» Ad. II 1, 29. III 3, 6.	=	» IV 1, 16.
» Ad. III 4, 12 + IV 5, 58. Hec. IV 4, 50.	=	» IV 1, 26 (cf. IV 3, 29).
» Ad. V 4, 7 (cf. V 4, 10. III 3, 36).	=	» IV 1, 35.
» Ad. IV 5, 23. Hec. III 1, 53.	=	» IV 2, 7 (cf. IV 6, 8).
» And. V 3, 25. Eun. V 2, 36. 40.	=	» IV 3, 14^{a}.
» Eun. I 2, 9.	=	» IV 3, 14^{c}.
» Ad. IV 4, 18.	=	» IV 3, 20.
» And. III 2, 6 (cf. Phorm. I 2, 60).	=	» IV 4, 7^{b}.
» Eun. I 2, 112. II 3, 73. And. prol. 15. Phorm. I 2, 64.	=	» IV 4, 7^{d}. 8^{b}. IV 6, 7^{a}. IV 5, 3^{a}. V 2, 32.
» And. V 5, 4. IV 3, 1. Phorm. V 5, 2.	=	» IV 5, 33.
» Ad. V 9, 10.	=	» V 1, 2.
» Eun. III 2, 26.	=	» V 1, 40 (cf. V 4, 18)
» » I 1, 20.	=	» V 1, 16.
» And. V 3, 5.	=	» V 3, 7^{a}.
» Eun. II 1, 4.	=	» V 4, 17.
» Hec. V 1, 21 (cf. Eun. III 5, 44).	=	» V 5, 3^{b}.

IV. Adnotationes, in quibus Calphurnius Donatum liberius imitatur.

Donatus:	Calphurnius:
Ad Adelph. III 3, 55: Lacrumo gaudio] Immoderata laetitia, maxime parentum, lacrimas habet. Recte ergo additum est gaudio, quia lacrimae solum moerorem significant.	Ad. II 3, 65. Oppletos] Nam ex nimio gaudio interdum lacrimae prouenire solent.

Ad Donatum:	cf. Calphurnius:
Praef. in Eun. p. 223, 9. Prol. in And. 22.	» prol. 1.
Phorm. V 1, 16.	» » 7.
Eun. prol. 43. And. prol. 18. Ad. prol. 14. Hec. prol. II 1,	» » 16 (cf. V 2, 4).
And. prol. 18.	» » 20.
Ad. prol. 15.	» » 24.
Hec. prol. 1. 4. prol. II 31.	» » 36[b] (Vt—actionem).
Praef. in Eun. p. 223, 27. » » Hec. p. 863, 24.	» » 37.
And. I 5, 7.	» » 41.
Ad. III, 3, 8.	» » 45.
Hec. II I, 43. And. II, 2, 9. Ad. IV 2, 4. Eun. IV 7, 41. V 2, 63.	» I 1, 16[a 1]). III 3, 21. IV 3, 23. IV 4, 15. IV 6, 1. IV 7, 4.
Eun. II 2, 15 et 13. Phorm. I 2, 5. And. I 5, 46.	» I 1, 58[b] (cf. III 2, 13).
Eun. V 6, 1. Ad. IV 1, 1. Hec. IV 1, 20.	» I 2, 12.
And. IV 3, 5.	» I 2, 19.
Porm. I 2, 7.	» II 1, 13.
Eun. I 1, 1.	» II 3, 1[b].
And. I 1, 2.	» II 3, 8.

[1] Calphurnius, nescio quo loco fretus, *quin* etiam pro *quare* poni dicit.

Ad Donatum:	cf.	Calphurnius:
Ad. III, 3, 45.	»	II 3, 73.
And. I 4, 3. III 5, 3.	»	II 3, 75.
And. II 6, 6.	»	II 3, 80.
Ad. V 3, 49.	»	II 3, 120^a.
Eun. IV 3, 11.	»	II 3, 122.
Ad. IV 5, 21.	»	II 4, 23^b (cf. II 3, 65).
Ad. V 6, 3.	»	II 4, 26^b.
Hec. III. 3. 18. And. prol. 1. And. IV 4, 3.	»	III 1, 7^b (cf. III 3, 2). III 1, 35. IV 3, 11^b.
Hec. III 5, 53.	»	III 3, 16.
And. I 1. 58.	»	III 3, 19^b (cf. IV 4, 16^b).
And. I 1, 10. Hec. IV 2, 29.	»	III 3, 21^b.
Phorm. prol. 5. 6. V, 1, 23. Ad. IV 5, 4.	»	III 3, 29«
And. IV 1, 14. V 3. 4. I 5. 4. Eun. V 1, 2.	»	IV 1, 9^b. IV 4, 15^b.
And. III 3, 23. Ad. III 3, 45.	»	IV 2, 8.
Ad. III 4, 20.	»	IV 3, 6^b. V 1, 34.
Ad. I 2, 36.	»	IV 3, 14^a.
Hec. IV 1, 15.	»	IV 3, 27^b.
And. I 3, 21.	»	IV 3, 44^b (cf. III 2, 50).
And. I 3, 21.	»	IV 4, 9^b.
Phorm. I 3, 1. Hec. II 1, 10.	»	IV 5, 5.
Ad. IV 5, 62. IV 1. 12.	»	IV 5. 9^c.
And. IV 4, 3. Ad. IV 2, 4.	»	IV 5, 18^a.
Eun. IV 4, 38. Hec. III 4, 12.	»	IV 5, 32.
Ad. V 1. 4.	»	IV 6, 2^b.
Eun. II 3, 39. Ad. IV 6, 1. Hec. V 2, 5.	»	IV 6, 21^b.
Ad. IV 5, 62. And. I 2. 23.	»	IV 8, 26^b.
Eun. III 5, 56.	»	V 1, 33.

Calphurnius quamuis in praefatione commentario suo praemissa dicat Donatum multis locis suo labore emendatiorem factum esse[1]. tamen non melius de textu restituendo

[1]) V. supra p. 44.

meruisse uidetur quam cum Catullum, Tibullum, Propertium et Statii siluas Vicentiae anno 1481 emendaret[1]. Etenim Donati qui dicuntur commentarii adhuc adeo corrupti circumferuntur, ut noua editio emendatior iamdudum omnium uirorum doctorum desiderio flagitetur. Neque magis perspexit Calphurnius non unius Donati esse hos commentarios, in quibus plurimorum scholiorum sententiae repetitae bis terue leguntur, in quibus tam contraria ad eundem locum ponuntur, ut de duobus alterum falsum esse necesse sit, in quibus immixtae sunt nugae atque ineptiae elegantissimis explanationibus[2]. Sane Calphurnius cum nihil habeat eiusmodi uituperationis, id unum dolet, quod „multa loca corrupta ad integrum redigi non possint"[3]. Itaque proprio iudicio destitutus cum Donatiana nimis credulus in commentarium suum reciperet, non pauca recepit, quae certe Donato, illustri grammatico et oratori, tribui non possunt. Eisdem orationis figuris utitur, quibus Donatus, simulque repetit eosdem errores, qui in illis inueniuntur[4]. Itaque si quis de Calphurnio similem scribere commentationem in animum inducat atque illa est, quam Alexander Richterus[5] sic inscripsit: *Donati commentarii quem usum habeant ad illustrandum singularum Terentii uocum corruptelam*, inanem suscipiat laborem.

Nec tamen substitit Calphurnius in Donato exscribendo, uerum etiam cum ueteres Romanorum grammaticos (Helenium Acronem, Paulum ex Festo, Aulum Gellium, Nonium Marcellum, Phocam, Seruium, Varronem atque nonnullis locis Ciceronem et Quintilianum) tum Laurentii Vallae, quem omnium suae aetatis eruditissimum uirum[6] appellat, de linguae

---

[1]) V. supra p. 25 sq.

[2]) Cf. Schopen, de Terentio et Donato eius interprete. Bonnae 1821. p. 43 sqq.

[3]) V. supra p. 44.

[4]) Cf. W. Hahn, *zur Entstehungsgeschichte der Scholien des Donat*, Halberstadt 1870.

[5]) Diss. inaug. Bonnae 1851.

[6]) In comm. ad Heaut. IV 5, 10.

latinae elegantia librum, qui primum Romae prodiit anno 1471 [1]), audacter expilauit.

VALLA eleg.:	Calphurnius:
IV 20: Vicinia autem non tam homines, qui eundem incolunt uicum, significat, quam qui prope domum tuam habitant. Vicinitas autem non homines, sed propinquitatem proprie quidem uicinorum sqq. [2]).	I 1^b, 4: Vicinitas] Vicinia non tam homines, qui eundem incolunt uicum significat, quam qui prope domum tuam habitant. Vicinitas autem non homines, sed propinquitatem proprie uicinorum.

Eodem modo ad uerbum uel paucis mutatis exscripti sunt loci hi:

Valla	eleg.	V 5 [3]).	=	Calph.	I 1, 14.
»	»	VI 41.	=	»	I 1, 16^b [4]).
»	»	IV 76.	=	»	I 1, 21.
»	»	V 61.	=	»	I 1, 26.
»	»	V 99.	=	»	I 1, 31 cf. IV 6, 11.
»	»	V 31.	=	»	I 1, 45.
»	»	II 48.	=	»	I 1, 51.
»	»	V 24.	=	»	I 1, 69.
»	»	V 64.	=	»	I 1, 74.
»	»	V 5.	=	»	I 1, 97.
»	»	II 24.	=	»	I 1, 107 a.
»	»	V 47.	=	»	I 1, 107 b.
»	»	V 51.	=	»	I 1, 120 a.
»	»	V 93.	=	»	I 1, 120 b.
»	»	II 11.	=	»	II 2, 5.
»	»	VI 61.	=	»	II 3, 13 b.

1) Cf. Fabricius, bibl. lat. med. et inf. aet. (ed. Mansi) t. VI p. 573.

2) In margine editionis Coloniensis anni 1543 aliarumque, quas in manu habui, perperam adscriptum est: *Donati sunt in commentariis Heautontimorumeni Terentii.*

3) Singulos locos facile reperias in perlegendis capitibus.

4) Cf. Quint. inst. or. VIII 6, 73; u. apparatum criticum Halmii et notam Spaldingii.

Valla eleg.	II 15.	= Calph.	II 3, 15 (cf. IV 5, 9).
» »	II 60.	= »	II 3, 22[b].
» »	V 20.	= »	II 3, 41.
» »	IV 52 (cf. VI 41).	= »	II 3, 48.
» »	V 2.	= »	II 3, 44.
» »	VI 36.	= »	II 3, 57.
» »	II 16.	= »	II 3, 69.
» »	III 34.	= »	II 3, 81.
» »	IV 67.	= »	II 3, 85.
» »	V 84.	= »	II 3, 120.
» »	V 23.	= »	II 3, 131[b].
» »	IV 36.	= »	II 3, 131[c. d].
» »	V 7.	= »	II 4, 3.
» »	IV 113.	= »	III 2, 34[b].
» »	VI 15.	= »	III 1, 18.
» »	II 18.	= »	III 1, 45.
» »	IV 105.	= »	III 3, 16.
» »	V 13.	= »	IV 1, 15[a].
» »	IV 94.	= »	IV 1, 19.
» »	IV 65.	= »	IV 2, 2.
» »	II 34.	= »	IV 5, 10[1])
» »	IV 105.	= »	IV 6, 10.
» »	II 14.	= »	V 1, 48.
» »	V 43.	= »	V 1, 14[b].

ACRON ad Hor. serm. I 4, 85 (ed. Hauthal II p. 82, 24): Quaternos. Id est: duodecim [homines] in triclinio. Nam inde et triclinium dictum [est], a tribus lectis.

Calph. I 1, 73. Lectos sternere] Ex consuetudine antiqua; lectulis enim stratis antiqui coenitabant. Vnde triclinium a tribus lectis dictum. Hor. ⟨serm. I 4, 85⟩:

Saepe tribus lectis uideas coenare quaternos.

Acron ad Hor. serm. I, 6, 85 (ed. Hauthal II p. 121, 14): Coactores dicuntur argentarii

Calph. I 1, 93. Talenta ad quindecim coëgi] Congessi, coadunaui. Hinc coactores ar-

[1]) Calphurnius citat Vallam.

in auctionibus, qui pecunias cogant.	gentariorum dicuntur, qui pecunias cogunt.
Paulus ex FESTO p. 38 (ed. Mueller): Contemplari dictum est a templo, id est loco, qui ab omni parte aspici, uel ex quo omnis pars uideri potest, quem antiqui templum nominabant.	Calph. ad IV 1, 4: Contemplata] Contemplari dictum est a templo, id est loco, qui ab omni parte aspici, uel ex quo omnis pars uideri potest, quem antiqui templum nominabant.

Eiusdemmodi sunt loci hi:

Paulus ex Festo p. 15.	=	Calph. ad prol. 25 (cf. III 1, 94).
» » » p. 224.	=	» » II 1, 15 (procax).
» » » p. 2.	=	» » II 3, 60.
» » » p. 350.	=	» » III 1, 52 (sollicitare).
» » » p. 152.	=	» » IV 3, 8.
Ad Paulum » » p. 11.	cf.	» » III 2, 15.
» » » » p. 49.	»	» » IV 4, 11[a].

GELLIVS IV 16, 1: M. Varronem et P. Nigidium, uiros Romani generis doctissimos, comperimus non aliter elocutos esse et scripsisse quam *senatuis* et *domuis* et *fluctuis*, qui est patrius casus ab eo quod est *senatus*, *domus* [et *fluctus*] sqq.[1]	Calph. ad II 3, 46: Eius anuis causa] M. Varronem et P. Nigidium uiros Romani generis doctissimos constat non aliter locutos esse et scripsisse, quam *senatuis* et *domuis*, qui est primus casus ab eo quod est *senatus* et *domus*.

Ad Gellium XV 3, 6.	cf. Calph. ad prol. 19.
» » II 13, 1.	» » » I 1, 99.
» » IV 9, 5 et 10[2].	» » » II 1, 16.
» » X 11, 6 (cf. XVI 14).	» » » II 3, 33[a].

---

1) Gellius citat Heaut. II 3, 46.
2) » » » II 1, 16.

Ad Gellium XVI 5, 5 et 6.	cf. Calph. ad III 1, 30^{c}.
» » X 18, 2.	» » » III 1, 43 [1]).
» » VI (VII) 11, 7.	» » » III 1, 72.
» » I 16, 1 (cf. Valla eleg. III 4).	» » » III 3, 45^{a}.
» » IV 9, 2.	» » » IV 1, 37.
» » IV 2, 1.	» » » IV 5, 32.
» » XIII 4, 2.	» » » IV 6 18^{c}.
» » VII 16, 5 et 11 (cf. Valla eleg. VI 24).	» » » V 2, 23^{a}
» » IX 14, 4. 9. 24 sqq.	» » » V 2, 27.
» » II 26, 5.	» » » V 5, 17.

NONIVS p. 445: Miserari et misereri ueteres his sensibus esse uoluerunt, ut sit miserari, flere et lamentari; misereri, miserationem alienis casibus exhibere.	Calph. III 1, 54: Vt me tuarum miseritum est. Bene miseritum. Nam secundum nonnullos, miserari est flere et lamentari, misereri uero, miserationes alienis casibus exhibere.

Nonius p. 284.	=	Calph. ad prol. 16^{b}.
» » 373.	=	» » I 1, 92.
» » 453.	=	» » II 1, 4^{a}.
» » 379.	=	» » II 1, 16.
» » 423.	=	» » II 3, 19^{a}.
» » 373.	=	» » II 3, 54.

---

[1]) Calphurnius *satrapes*, inquit, *a Graecis prouinciae praefectus dicitur.* Hunc errorem sermonis continuatione soluta hausit ex Gellii uerbis his: *Mausolus autem fuit, ut M. Tullius ait* ⟨disp. tusc. III 31⟩, *rex terrae Cariae, ut quidam Graecarum historiarum scriptores dicunt, prouinciae Graeciae praefectus, σατράπην Graeci uocant.* Gellius nesciuisse uidetur satrapem Persicam esse uocem, recte autem tradit Mausolum, praefectum Cariae, prouinciae a Graecis habitatae, *σατράπην* nominatum esse. Calphurnius igitur cum Gellium temere exscriberet, prouinciae praefectum a Graecis absolute satrapem appellari interpretatur, cum Gellius de certa prouincia dicat, quam Persicam fuisse illo tempore ignorauit.

Nonius p. 322. 323.	=	Calph. ad III 1, 11^{b}.	
» » 395. 396.	=	» » III 1, 56^{b}.	
» » 432.	=	» » III 1, 74.	
» » 445.	=	» » IV 1, 4^{c}.	
» » 362.	=	» » IV 4, 1^{b}.	
» » 387.	=	» » IV 4, 12^{b}.	
» » 118.	=	» » V 4, 10^{c} [1].	
» » 396.	cf.	» » II 4, 20^{c}.	

PHOCAS gramm. lat. (ed. Keil) t. V p. 436, 12:

Faxo futurum tempus tantum uel, ut alii, promissiuum modum ostendit.

Calph. ad I 1, 109:

Vtinam dii faxint] Faxo, futurum tempus tantum, uel ut alii, promissiuum modum ostendit.

Phocas gramm. lat. (ed. Keil) t. V p. 436, 4 sqq.:

Defectiua in modis sunt haec: quaeso, quod primam personam habet indicatiuo modo dumtaxat, licet quaesere lectum sit apud Sallustium et Tullium.

Calph. ad I 1, 111:

Quaeso] Primam personam indicatiui habet dumtaxat. Licet quaesere lectum sit apud Sallustium et Tullium.

Phocas gramm. lat. (ed. Keil) t. V p. 438, 24:

Sunt alia (deponentia) quae a diuerso ueniunt praesenti, sed in praeterito confunduntur, ut patior, passus sum, pandor passus sum, ut apud Vergilium ⟨Aen. I 480⟩ 'crinibus Iliades passis': item uertor, uersus sum, uerror uersus sum.

Calph. ad II 3, 49:

Capillus passus] Id est sparsus. Virgil. ⟨Aen. I 480⟩ Crinibus Iliades passis. Sunt quaedam uerba, quae a diuerso ueniunt praesenti, sed in praeterito confunduntur, sicuti a patior et a pando passus descendit [2].

[1] V. textum supra p. 36; cf. Varro LL. VII 55.

[2] In editione Taruisina anni 1477 addita sunt haec uerba: *a uertor et uerror uersus sum.*

SERVIVS in Aen. I 2, ed. Thilo p. 8, 10:	Calph. ad III 2, 17:
Profugus autem proprie dicitur, qui procul a sedibus suis uagatur, quasi porro fugatus.	Hinc profugus dictus proprie, qui procul a sedibus suis uagatur.

Ad Seruium in Aen.	XI 708.	cf. Calph. ad	III 1, 33.
» » » Georg.	IV 89.	» » »	III 1, 74.
» » » Ecl.	VIII 41.	» » »	III 3, 8.
» » » Aen.	I 237.	» » »	IV 4, 2.
» » » »	I 410.	» » »	V 2, 7.

Praeter locum ad III 1, 39, ubi citat Calphurnius Varronem (LL. V 176), ex VARRONE sumptus est hic locus:

Varro LL. V 175: Pecunia uocabulum mutat, nam potest item dici dos, arrabo, merces, corollarium. . . Arrabo sic data, ut reliquom reddatur sqq.	Calph. ad III 3, 42: Arrhaboni] Pignori hoc loco intelligas. Arrhabon dicitur merces, corollarium[1], et est quod prius datur, ut reliquum reddatur.

Ad Varr. LL.	VII 55.	cf. Calph. ad.	V 4, 10.
» » »	VII 84.	» » »	I 2, 32[a].

CICERO de off. I 7, 22.	Calph. ad I 1, 25:
Sed quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus ortusque nostri partem patria uindicat, partem amici, atque ut placet Stoicis, quae in terris gignantur ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse genera-	Homo sum: humani a me nihil alienum puto] Hoc ex Platonis sententia, qui inquit: Ortus nostri partem patriam uindicare, partem amicos. Et ut Stoicis placet, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creantur. Homines autem hominum causa

[1] Nota, quam confuso modo uerba Varroniana Calphurnius usurpauerit.

tos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent sqq.	generantur, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint.
QVINTILIANVS inst. or. III 6, 30: Coniectura dicta est a coniectu, id est directione quadam rationis ad ueritatem: unde etiam somniorum atque ominum interpretes coniectores uocantur.	Calph. ad I 1, 11: Vt concio] Id est coniecturam capio[1]; hinc coniectura dicta est a coniectu, id est a directione quadam rationis ad ueritatem. Vnde etiam somniorum atque ominum interpretes coniectores uocamus.
Ad Quint. inst. or. V 10, 23 sqq.	cf. Calph. ad II 2, 4.
» » » V 11, 11.	» » » III 1, 10[2].
» » » I 6, 17.	» » » IV 3, 3b.

Detractis igitur his alienis thesauris, quibus exornatus Calphurnii commentarius in Heautontimorumenon usque ad nostram aetatem dignus habebatur, qui quasi alterius Donati iunctim cum eo ederetur, ad nihil fere redigitur. Ne quis autem leuitatis nos insimulet, quae suo labore ac iudicio confecerit Calphurnius, accuratius pertractabimus.

Sed aptum esse uidetur, quid docti homines dudum de Calphurnio occasione data iudicauerint, antea palam facere, praesertim cum Westerhouius eorum iudicium plane neglexerit.

Ac primum quidem Nannius cum in miscell. lib. II c. 4 ad IV 2, 5; lib. II c. 2 ad III 2, 45 et III 3, 45 et 46 Calphurnianam interpretationem castigauit, tum in miscellaneorum libro I c. V Calphurnii explicationem ad prologi uersum 23 cauillatus est omninoque Calphurnium non nominatum[3]) despexit uerbis his:

Tum quod maleuolus Poëta uetus dictitat,
Repente ad studium hunc sese applicasse musicum.
Nihil hic omnino difficultatis, sed uisum est mihi adferre

---

1) Cf. Valla eleg. III 79.
2) Cf. Cic. de senect. c. 3.
3) Nannius nominat Calphurnium in misc. lib. II c. 2.

uerba interpretis, qui sub nomine Donati fucum facit, ut liquide appareat omnibus, quam stulta et ridicula commentariis Donati affusa sint.

Hunc musicum (inquit) uidelicet Poëtam elegantem, ubi caecus iste nugator ex adiectiuo substantiuum facit, et id a uocabulo, studium, cui ut adiectiuum inseruiebat, obtorto (quod aiunt) collo ad Poëtam transtulit[1]*. Pergit deinde, et stultitiam stultitiae connectit. Musicus Latine, inquit, dicitur elegans, ἄμουσος uero Graece inelegans, plane ἀπροσδιονύσως, cum Terentius hic per studium musicum, studium Poëticum intelligat. Obicitur enim ei, quod nuperus, nouitius, et tyro sit in hac arte. Certe in prologo Hecyrae* ⟨II 15⟩ *artem musicam, Poëticem appellat:*

Prope remotum iniuria aduersarium,
Ab studio atque labore atque ab arte musica.

Vtinam tandem sit aliquis Hercules, qui Augiae stabulum expurget, eaque eiciat e commentariis magnorum uirorum, quae illis falso adscribuntur. Doctissimus et elegantissimus est interpres Acron, ceterum ita obrutus est insulsissimis neniis, ut ne speciem quidem sui retineat. Tum commentaria in Vergilii Aeneida, quae sub Donati nomine circumferuntur, ausim iurare, ne uerbum quidem Donati habere. Aliquis indoctus indoctissimis uerbis paraphrasin scripsit in Donatum, id iam mundo obtruditur pro Donato et a magnis uiris tum in Italia, tum in Germania pro legitumo agnoscitur, tantum est philtrum in magnificis titulis. Stomachari me fateor, quis enim non aegre ferat tot doctis et studiosis imposturam fieri per istas inscitissimas nugas, nec rebus, nec elegantia sermonis instructas?

Item Gerardus Ioannes Vossius in Aristarchi libri VI capite 5 Calphurnii auctoritatem imminuit. Sane ubi ad IV 7, 10 'haec' in plurali feminino pro 'hae', ut in Eun. III

[1] Westerhouius: *hic uero*, inquit, *Nannius miscell. l. I declamat in quendam Pseudo-Donatum, qui musicum substantiue accipiat pro poëta. Calphurnius is est.*

5, 34 et Phorm. V 8, 23 dictum esse negauit. *nec*, inquit, *tanti nobis Calphurnius, qui a multis pro Donato citari solet, quia quod Donato deerat, suppleuit. Atqui Donatus B. Hieronymi praeceptor fuit, ut ante annos uixerit prope mille trecentos. Calphurnius ante annos centum quinquaginta* sqq.

Deinde liceat etiam alias seligere et perstringere ineptias, quas in explicando commisit Calphurnius, tales scilicet, quales a lexicis sub Donati nomine allatae comprobantur (u. etiam p. 70):

Ad III 2, 10 Calphurnius ubi ex Plinio[1]) de aquilis scripsit haec: *Oppetunt non senio, nec aegritudine, sed fame, in tantum superiore accrescente rostro, ut aduncitas aperiri non queat*, ex his Plinii uerbis de aquilae senectute elicit haec: *Igitur aquila tantum in senectute bibit, uel de praeda sanguinem sugit, ex quo prouerbium in senes, qui plus bibunt, quam comedunt.* At nihil tale Plinius refert, sed aquilae uires neque aegritudine neque senectute imminui atque fame perire aquilam. Neque usquam in scriptoribus animalium historiam describentibus legi de aquila sanguinem, quo uictitet, bibente, immo Aristoteles[2]) aquilas non bibere narrat. Ceterum huius prouerbii explicationem exhibet Suidas[3]): *ἀετοῦ γῆρας, κορύδου νεότης: παρόσον καὶ γηράσκων ὁ ἀετὸς ἀμείνων ἐστὶ παντὸς ὄρνιθος.* Itaque recte in adagiis Erasmus *ἀετοῦ γῆρας* explicat de uiuida uiridique senecta. Nec secus Ruhnkenius in dictatis hunc locum interpretatur.

Ceterum Calphurnii explicationem improbauit is[4]), qui tertiam fecit interpolationis partem Calphurniani commentarii. Is enim Calphurnii interpretatione plane omissa affert Hieronymi[5]) de aquilae senectute sententiam: aquilam senescentem ter se in fontem mergere et ita ad iuuentutem re-

1) N. H. X 14. 2) Hist. animal. VIII 3, 8.
3) Ed. Gaisford 106 D. 4) V. supra p. 39.
5) Sunt Pseudo-Hieronymi in *epistula ad Praesidium* (ed. Migne, pat. t. XXX p. 193) uerba. Verus Hieronymus in cap. Isa. XL: *Crebro diximus aquilarum senectutem reuiuiscere mutatione pennarum.*

dire. Simile quidpiam etiam apud orientales creditum esse Psalmus 102, 5 docet: *renouabitur ut aquilae iuuentus tua.*

Ad I 1, 110[1] Calphurnius Dionysia *a plerisque Graeciae urbibus triennio quoque* celebrata esse contendit. At nullus scriptorum ueterum istud tradit, nobilissima uero sunt Dionysii sacra biennio, id est tertio quoque anno acta, quae Graeci *τὰς τριετηρίδας* uocant. De iis canit Ouidius fast. I 193 sq.:

Festa corymbiferi celebrabas Graecia Bacchi,
Tertia quae solito tempore bruma refert.

Mihi quidem dubium non est, quin Calphurnius, cum de his sacris cogitaret, *triennio quoque* pro *tertio quoque anno* scripserit[2]. —

Sed iam ad reliqua Calphurniani commentarii propria accedamus. Primum occurrunt argumentum totius fabulae et singularum scaenarum argumenta. Quae tamen, cum Donatiana imitentur, horum neque iudicii subtilitatem neque acumen assequuntur: magis enim fabulae contextum atque continuationem enarrant, quam remotiorem subtilioremue praebent explicationem.

Deinde Calphurnius imitatur Donatiana, quibus scaenica actio breuiter notatur, uelut *hoc cum gestu, cum stomacho, haec secum dixit, hoc clara uoce, submissa uoce protulit.* Nec tamen, ut par est, eiusdem sunt pretii hae notulae atque Donatianae illae, quippe quas hauserit grammaticus ex uetustissimis Terentii libris per ueteres doctos atque adeo ipsos per histriones suo quasque loco obseruatas[3]).

Praeterea hoc loco commemoranda sunt ea, quae Calphurnius solito fusius de mutua quae inter parentes et filios intercedit condicione per omnes fere scaenas enarrat. Quas obseruationes cum ad fastidium in medium effundat, aliquo-

[1]) Ad hunc locum cf. Zimmermann, *über den Heautontimorumenos des Terenz,* Hamburg 1829, p. 16 sq.

[2]) Hunc errorem iam emendauit is, qui tertiam interpolationis partem confecit; recte enim scribit: *tertio quoque anno.*

[3]) Cf. Schopen, de Terentio et Donato eius interprete p. 47.

tiens prorsus eadem repetit: Cf. I 1, 49 et III 3, 13; I 1, 63; I 1, 74 et 97; I 1, 104; I 2, 26; I 2, 27; I 2, 30; II 1, 1; II 1, 8; III 1, 20 et IV, 8, 4; III 1, 28 et III 1, 61; III 1, 56ᵃ; III 1, 80; III 3, 3ᵇ; III 3, 4 et III 3, 7; IV 8, 21ᵇ; V 2 42 et 44; V 4, 7; V 4, 12ᵇ.

Item in rebus amatoriis, quaeue ad meretrices pertinent, explicandis operam tantam collocat Calphurnius, ut iterum atque iterum explicet ea, quae explicationis minime indigeant: Cf. II 2, 1 et IV 4, 5; II 2, 2 et II 2, 9 et II 2, 11ᶜ et III 3, 9 et IV 6, 18; II 3, 59; II 3, 93; II 3, 135; II 4, 1 et IV 4, 1 et IV 4, 10 et IV 4, 14 et IV 4, 21; II 4, 8; II 4, 17; II 4, 23; II 4, 25 et II 4, 27 (cf. III 1, 11, IV 1, 4); III 3, 26; IV 1 29; IV, 3, 9; IV, 6, 15.

Haec explicandi ratio quantum distet a Donatiana, sentiet quicunque eius commentarios diligenter perlegerit. Donatus tangit rem, ubi de communi uita et uulgari hominum consuetudine agit, cum multae occasiones amplius disserendi per quinque fabulas essent datae, nusquam copiosius praecipit.

Porro apud Calphurnium occurrunt saepius sententiae incipientes a *sic dicimus, sic fieri consueuit, ex affectu eorum loquitur, hoc dicere solemus*, quibus quid homines in qualibet uitae condicione dicant aut faciant exprimitur. Vide sis II 1, 6; II 2, 7; II 3, 113; III 1, 22ᵇ; III 1, 46; III 3, 34ᵇ; III 3, 50; IV 1, 4; IV 2, 9; IV 3, 22; IV, 3, 41[1]); IV 4, 16; IV 4, 19ᵇ; IV 5, 35; IV 6, 12; V 1, 27ᶜ.

Inueniuntur sane similia etiam apud Donatum, sed multo rarius eaque optima nec longius arcessita. At in Calphurnio habent aliquid offensionis propter frequentiam, qua aperte demonstratur commentatorem aliquid artificiose appetere, quod explicet.

Restant adnotatiunculae siue ad res grammaticas siue ad etymologicas, siue ad uerborum differentiam, siue ad antiquarum litterarum scientiam pertinentes perpaucae neque obscurae difficilesque explicatu, quarum fontes indagare non potui. Sunt autem hae: I 1, 103; I 1, 119; II 3, 56; III

1) Cf. Don. ad Phorm. II 1, 70.

I. 48; 51[c]; III 2, 34; IV 2, 2; 6; IV 1, 42; IV 6, 19; 22[b].

Accedunt etiam minoris momenti adnotationes paucae, quarum genus aptum est scholis tempore Calphurnii habitis[1]: harum aliquot continent siccam circumlocutionem poëticorum uerborum in prosam orationem transfusorum, in qua non raro poëtae ipsius uerba adhibita sunt, id quod e. g. hi loci demonstrant:

Ad Terentii uersum ⟨II 2, 3⟩

Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant

legitur haec interpretatio: *Augeri dicitur animus, quando multa concurrunt, quibus flectitur in eam partem, in quam inclinatur.*

Verba II 3, 7 et 8:

Sy. Non oportuit relictas: portant quid rerum? Cl. ei mihi!
Sy. Aurum, uestem et uesperascit, et non nouerunt uiam.

sic interpretatur Calphurnius: *Et uesperascit, et non nouerunt uiam*] *Causa cur non oportuit relictas: quis enim tutus, si quid portat, et in nocte, et in incerto itinere?*

Cf. praeterea prol. 31; I 1, 1[b]; II 1, 11; II 3, 59; II 3, 93; IV 1, 29; IV 2, 10[c]. — Ter. Heaut. II 3, 115 = Calph. ad V 1, 76 (at cf. Don. ad Phorm. I 4, 42). Ter. Heaut. V 2, 38 = Calph. ad V 4, 7.

Contra nihil fere proprii Donatoque digni praecipit Calphurnius de sermonis Terentiani proprietate uel de uirtute poëtica fabulae componendae, uel de actuum diuisione ac personarum *ἠθοποιΐα*, quibus rebus summopere meritus est Donatus in explicando Terentio[2]. Nec tamen acerbius uituperandus est Calphurnius, quippe cui defuerit graeca Menandri comoedia, qua comparata cum Terentio, quid hic

[1]) Luculentissimum exemplum legitur ad I 2, 7: *Audiui in Asia esse*] *Recta eiuscemodi est oratio per infinitum, nam non latine dicitur audiui quod in Asia est.* Qua adnotatione adulescentuli stilum latinum discentes monentur, ne incidant in errorem uulgarissimum.

[2]) Cf. Schopen, de Terentio et Donato eius interprete p. 46 sqq.

simpliciter uertisset in latinum, quid ipse excogitasset, quid omisisset quidue addidisset, statui posset.

Ab arte critica prorsus se abstinet Calphurnius, neque usquam auctorem nominat, quocum sit controuersia, quomodo legendus sit hic uel ille locus. Semel tantum *sunt qui legant* dicit, ubi tamen non de uaria lectione, sed de diuersa explicatione agitur, nec qui sint illi dissentientes (II 4, 27) significat; nescio tamen an sententiam respiciat magistrorum suorum, quibus profitentibus totum in Heautontimorumenon commentarium a Calphurnio exceptum collectumque esse Regius asserit. Quantopere proprio iudicio careat Calphurnius, hoc loco uideas, quoniam ne minima quidem dubitatio esse potest, quin altera interpretatio falsa sit, cum Antiphila redeunti Cliniae iam fidem praestiterit uerbis *o mi exspectate, salue.* Item ad IV 5, 10 Calphurnius Vallae cum Donati sententia ita comparat, ut in medio rem relinquat neque addat, uter recte docuerit.

Reliquum est, ut non tam temporum quibus uixit consuetudini quam ipsi Calphurnio uitio demus, quod tot auctores exscripserit fonte non indicato, quamuis in praefatione se nullius iudicium sequi glorietur: Donatum enim ter tantummodo (IV 3, 36; IV 5, 9; IV 5, 10), Vallam semel (IV 5, 10), item Varronem (III 1, 39), reliquos auctores omnino non nominat. Multo religiosius Laurentius Valla in sex libris de linguae latinae elegantia fontes suos aperit.

Nimirum nunquam Calphurnius tantam auctoritatem assecutus esset, si sine fuco et fallaciis aliena a suis distinxisset. At uide, quanta fiducia ad I 1, 120 adnotauerit *a quibusdam morari pro exspectare exponitur, sed mea sententia, magis poëtice, quam oratorie*, cum ipsissimis Vallae (eleg. V 93) uerbis utatur. Cf. IV 5, 9[a] et II 3, 15.

Vt paucis uerbis de Calphurnio iudicium absoluam: nihil habet, quod non hodie a quouis Donati imitatore aeque facile uel melius et rectius conscribi possit. Immo quam parui sit aestimanda eius in Heautontimorumenon

interpretatio, quam haud inepte *paraphrasin in Donatum* nominat Nannius, si uiris doctis probauero, me hunc libellum non frustra scripsisse censebo[1].

---

[1] Non paucis in lexicis praeeunte Forcellinio Calphurnium inter latinos scriptores citari uideo. Veluti De-Vit quamquam in appendice ad indicem scriptorum latinorum, quorum auctoritatem respicit, perperam Calphurnium, grammaticum saeculi XV, antiquum reputari monet, tamen sub u. *bolus*, ubi Forcellinius totam Calphurnii interpretationem una cum interpolatione ad IV 2, 6 sub Donati nomine recitat, hunc errorem repetit. Cf. etiam sub u. *Dionysius*, sub uu. *motorius* et *statarius* (ad prol. 35), sub u. *aquila* (ad III 2, 10).

Ceterum non dissimilis est condicio commentarii a Calphurnio in Heautontimorumenon conscripti atque commentariorum ab aliis uiris doctis post renatas litteras confectorum, ueluti Odoardi Biseti in omnes comoedias Aristophanis et Aegidii Bourdini in solas Thesmophoriazusas et aliorum.

Typis expresserunt Breitkopf et Härtel Lipsienses.